DE CHALCANTHO
Medica Diſputatio.

AVCTORE
AETIO CLETO
SIGNINO
MEDICO, ET PHILOSOPHO.



ROMÆ, Apud Hæredem Bartholomæi Zennetti. 1623.

Superiorum Permiſſu.



Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.

A. Episc. Hierac. Vicesg.



E*Go Tiberius à Fonte medicus, philosophus Eugubinus, ex commissione Reuerendissimi Patris Fratris Nicolai Rodulfii Sacri Palatij Magistri, legi ea diligentia qua potui opusculum doctissimi viri Aetij Cleti medici Signini, quod inscribitur, De Chalcantho medica Disputatio, & nihil in eo inueni quod Sanctæ Romanæ Ecclesiæ re-*

pugnet, neque quod ſit contra bonos mores. Datum Romæ, 15. Decembris 1622.

Ego idem qui ſupra manu propria.

Imprimatur,

Fr. Vincentius Martinellus Socius Reuerendiſsimi P. Fr. Nicolaj Rodulfij Ord. Præd. Sac. Apoſt. Pal. Mag.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.
PRINCIPI

MARCO ANTONIO GOZADINO

S. R. E. CARDINALI
EPISCOPO TIBVRTINO,
& Patrono Colendissimo.


AETIVS CLETVS F.



VRE quidem optimo, Cardinalis Illustrissime, opus meum de Chalcantho amplitudini tuæ dicare constitui; simul tuorum erga me meritorum perspicuum, ac perpetuum memoriæ meæ argumentum; simul etiam, vt sub tanto patrocinio ab obtrectatorum calumnijs reddatur tutissimum. Tenue quidem munus est. Id verò me non ab instituto de-

terruit, memoria tenentem, ab Artaxerse illo Persarum Rege opulentissimo, vel aquam manibus haustam, volaquè allatam (infimæ conditionis donum) libenter,& grato animo fuisse acceptam. Siquidem certum probatumq. verbum est: In muneribus mentem esse præstantissimam. Vtq. in artificis officina picta, scultauè tabella cuiusuis iniuriæ potest esse obnoxia; sacro verò parieti votiua suspensa omnibus venerabilis, intactaq. suspicitur; ita fore confido, fietquè profectò, vt hæ lucubrationes meæ, Eruditissimo Præstantissimoquè Patrono dicatæ, vsquequaque inuiolatæ seruentur. Vale, mequè benignè amplectere, & foue. Signiæ ix. kalen. Decembris 1622.

AETII CLETI SIGNINI MEDICI, ET PHILOSOPHI, DE CHALCANTHO Medica Diſputatio.



EXORDIVM.

BONORVM omnium in re medica auctor Hip. fixius contēplatus quæ bona pariat, & à quibus ærumnis medicina ægrotantes liberet, ita protulit lib. de flat. artis beneficio à maximis malis liberantur, à morbis, à doloribus, à triſtitia, à morte. in immenſum æquidem creſceret oratio longius vagando, & ex auctoribus recenſendo quas ſibi laudes medicina adepta eſt, ſua dignitate impares & longè minores; verùm artificum nonnunquam inſcitia, aliàs cura nimis intelligendi, & propriæ opinionis oſtentatio effecit, vt ridicula nonnullis eua-

ferit, multiq. eandem flocci faciendam censuerint. Quamobrem factum est, vt in medicos inuehi complures haud dubitauerint; eosq. redarguere, insectariq. operam dederint. quem sibi dicédi campum arripuit Plin. lib.29. cap.1. & sequitur Quintil. declamationum suarum 8. vbi ex ficto sibi casu occasione arrepta medicos reprehendit & taxat acerrimè. Sed hanc calamitatem agnouit & confessus est Hip. lib. de lege, cum perhibuit medicina omnium artium præclarissima est; verùm propter eorum, qui exercent, ignorantiam, eorumq. qui temerè, de his iudicant, omnibus artibus iam longe inferior habetur. Cæterum hæc sapienti viro neque fidem neque auctoritatem à medicina abrogare debent. quoniam crimen artis nón est, quod professoris est. hæc verò minime præfatus sum, quasi velim medicorum inscitiam redarguere, quin potius, si pateretur occasio, horum ingens acumen, & incomparabilem eruditionem extollere in animo esset. Sed vna opinionum ostentatio me sola mouit, qua multi, quod est à veritate longinquum, suadere, & fucatis rationibus, orantis magis, quam philosophantis more, medentium animos in propriam sententiam allicere conantur.

tur. exemplis per quam multis iſtud comprobare nō eſſet arduum. ſuppetat illud oleū chalcantinum, cuius laudes illùc deuenere, vt dixerit Geſnerus, eum medici perſona, titulo, nomine, vel fama dignum non eſſe, qui inter medicandum oleo vitrioli ſe carere poſſe temerè exiſtimauerit. & adiecit Raymundus Minder. cap. 10. lib. de chalcant. ego ſanè adhuc à medicina diſcederem, nomenq́. meum potius militiæ darem aut opus quoddam mechanicum affectarem, ſi vſu vitrioli priuatus forem, vel mihi chalcanthini olei exhibitio interdiceretur. planè illuc deuenit dicendi licentia, vt contrariæ opinionis auctores, quos non valent rationibus conuellere, iurgijs tentent, verbisq́. contumelioſis & affirmantibus, eruditiſſimos viros, quiq́. magna cum laude medicinam fecerunt, præſidium iſtud alto ſilentio donaſſe, conſcios prorſus illud reprobandum; obuiam itur, Hip. rabarbarum, mannam, & caſſiam non agnouiſſe, & licere nihilominus ijs vti magno cum commodo. quæ reſponſio, & ſi veritatem complectitur, non tamen argumento par eſt, quod oſtentat à medicis hiſce iunioribus agnitū & prætermiſſum chalcāthi olei vſum: cum re vera contineat reſponſio, quo nos

vtimur

vtimur rhabarbaro, manna, & caſſia minime cognita ab Hip. eaq́. de cauſa prætermiſſa. efficaciam enim ſortiretur ſolutio ſi agnouiſſet illa Hip. & prætermiſiſſet vſum. Cæterum hac in prefatione rationes pro chalcanti oleo perpendendas non duxi: ſed occaſionem ſolummodo indicandam, quæ me impulit ad ſcribendum, amicis etiam multis efflagitantibus: ne ſcilicet res tanti momenti patrono ſui carere videatur: licet non ignorem multos fama & eruditione clariſſimos onus iſtud congruentius ſuſcipere potuiſſe. at veritas, & iuuandi cupiditas ad ſcribendum inuitauit. qua in trattatione multa prætermittenda duxi quæ de chalcantho inquiri poſſent nimirum, quid illud ſit, quale ſit natiuum, quod factitium, quibus in locis excellat, qua coniectura optimum aſſequi poſſimus: an illud metallum ſit; & alia his ſimilia. quæ eò libentius prætermitto quòd exactè à viris doctiſſimis exarata ſcio, qualecunque verò hoc erit opus, te candide lector benignè ſuſcipias oratum velim: vtq́. non adeò meum ſcribendi attendas ſtylum, quàm iuuandi magis (quo ad ſcribendum impulſus fui) ſtudium, ipſamq. veritatem.

An chalcanthum ſit calidum. Cap. I.

DIſſentio orta eſt inter iuniores medicos, an vitriolum calidum ſit vel potius frigidum. Minder.cap.3. lib. de chalcantho, hac de re nactus occaſionem dicere, in vitriolo, ſcribebat, reperitur ſumma caliditas, que cauſticam vim exercet, atque inſuper ſumma frigiditas, que totum corporis habitum ſuper calefactum ad ſymetriam, ac commoderationem iuſtam reducit. Alijs viſum eſt, chalcanthũ crudũ & etherogeneum eſſe, & cum aliquot particulis calidis, à prædominio frigidũ, aſtringens & ſiccans. quæ diſſertatio omnino refragatur claſſicis auctoribus: quorum ſententia eſt calidum à prædominio chalcanthũ eſſe. hoc ſibi voluit Dioſc. c.74. lib. 5. cum de chalcanto perhibuit. valet aſtringere calfacere, cruſtas inducere. & aſtipulatur Gal. lib. 1. de ſimpl. cap. 33. vbi memoriæ mandauit, chalcanthum caliditatem tantam aſſecutum, vt nos etiam exurat. & clariora eiuſdẽ verba ſunt lib. 9. operis eiuſdem dicentis, mirari ſubit de hoc medicamento, quo pacto vehementiſſimæ adſtrictioni admixta eſt caliditas non inextrema. conſtat

ſtat

ſtat ergo quòd omnium maxime condire, ſeruareq. carnes humidas poteſt, nimirum, caliditate humiditatem abſumẽs, atque aſtrictione ſubſtantiam contrahens, conſtipansq. quibus conſona ſcripſit Aëtius lib.2. cap.74.
Oribas. lib.14. coll. cap.18. in fine. & confirmant Pauli verba lib.4. cap.53. dicentis: Scopus cruſtam generantium medicamentorum erit calor cum adſtrictione, quemadmodum in chalcithide, myſi, & atramento ſutorio habetur. imo Auic. lib.2. tract.2. cap.170. quem ſequutus eſt Arnal. Villanouanus ſpagyricæ artis non ignarus (quantum eius patiebantur tempora) lib. de ſimpl. cap.7. ad quartum vſque gradum vitrioli caliditatem extendi memoriæ mandauit. quinimo atramentum ſutorium à prædominio calidum, neque etiam negauit Minder. ipſe, quando cap.12. citati libri, aiebat, inſunt ei plurima refrigerantia, & multo plura calefacientia, & cap.12. lib. eiuſdem occaſione arrepta exarandi varias facultates vitriolo ineſſe, quas ſubiecit ille, etiam Gal. ſuſpexit, & admiratus eſt, quando calori vitrioli non leuem adſtrictionem ineſſe faſſus eſt.

Quanquam neque illud eſt condonandum Minder. vt chalcantho ſumma inſit caliditas, ſummaq.

ſummaq. frigiditas. namq. vti mixtorum, nullum actu ſummas haſce qualitates eodem in tempore ſortiri poteſt, teſte Ariſt. lib. 2. de gener. text. 16. pari pacto neque etiam potentia. quo enim tempore miſcibilia inuicem alterantur ad mixtum conficiendum, altera earum qualitatum ſuperet eſt neceſſe, vnde ſequitur vt illud à predominio magis calidum ſit, vel magis frigidum, quamobrem caliditas & frigiditas ineſſe minime poteſt in ſummo mixto iam completo, & elaborato. Itaq. Gal. lib. 1. de temper. cap. 8. cum rerũ omnium temperamenta indagatur, animantium ſcilicet ſtirpium, & inanimatorum, octo temperies ſolas enumerat, in quibus qualitates à predominio excedunt, calidam nempe, vel frigidam, ſiccam, vel humidam: calidam, & ſiccam, frigidam & humidam, frigidam & ſiccam; neque inter has reperire eſt frigidam & calidam in ſummo, certior factus, mixta qualitates has ſummas ſimul copulatas adipiſci minime poſſe. &, quemadmodum octo qualitatum exuperantias ab intemperie prodeuntium morborum cauſas idem Gal. ſtatuit lib. de cauſs. morb. cap. 1. inter quas locum non ſortitur ſumma caliditas, & frigiditas ſumma, que ſimul morbũ pariant;

ita qualitatum exuperantiæ in medicamento à quorum dominio nomen ſortitur vti lib. 4. Meth. cap. 2. luculenter Fernel. indicauit, octonarium numerum non excedent neque reperire contigerit quod ſummam habeat caliditatem cum ſumma frigiditate, quemadmodum de vitriolo depredicauit Minder. Sed eſt inſuper arbitratus Minder. illud efficere ſummam frigiditatem in chalcanto vt illud ipſum ſupercalefactum refrigeret, & ad ſymmetriam, & cõmoderationem iuſtam reduceret. Quæ equidem ſi adeſſet ſymmetria, & iuſta commoderatio, non illi ineſſet ſumma caliditas cum frigiditate ſumma; ſique hæ adeſſent qualitates in ſummo, ad ſymmetriam non eſſet redactum, iuſtamq. commoderationem. Quamquam ſi ex ſecundis qualitatibus de vitrioli temperie ſit ferendum iudicium, ſummè calidum omnino ſtatuendum eſt. quod indicat illius ſapor quem acrem eſſe litteris ſcriptum reliquit Gal. lib. 4. catatop. cap. 4. cum perhibuit, chalcantum quod aſtringẽdo vna cum acredine vehementiſſimum pharmacum exiſtit. cui conſenſit Actuar. lib. 6. Meth. cap. 5. & hoc ſibi voluit Cæſal. lib. 1. de metall. cap. 6. in hunc modum ſcribens. Chalcanthum

cum acerbitate, etiam acrimoniam vehemẽtem habet adiunctam, ideo aquas reddit mordentes, & corrodentes. & enucleatius indicauit Agricola lib. 3. de natura foſſil. cap. 16. dum voluit, atramentũ ſutorium, quæque ſub illius genere complectuntur acria eſſe omnia. Fert ſuffragium Minder. ipſe qui cap. 1. lib. citati de vitrioli delectu verba faciens, illud à ſe probari dixit, quod acrius linguam ſtimulat, aut acore quodam aſtringente fauces non ſine aliquo ſalſedinis ſtimulo in ima penetrante conuellit. Iſte vero chalcanti ſapor acris prædominantis caliditatis certum indicium eſſe omnino conſenſiendum videtur. in quam ſententiam locutus eſt Gal. cap. 18. lib. 4. de ſimpl. cum litteris ſcriptum reliquit, ſcire oportet acres ſapores omnes ſummè eſſe calidos, poſt illos eſſe amaros, deinde vero dulces. Igitur cap. 3. lib. eiuſdem vbi mixta medicamentis qualitas apparuerit cum acrimonia, caliditatem quoque ineſſe conijciendum eſſe, tradidit. à Gal. ſentẽtia ne latum vnguem receſſit Aet. apud quem cap. 1. lib. 1. ſcriptum reperitur, ad acrem iam ſermonem conuertamus, eosq. primum calidos exacte eſſe dicamus, deinde eroſiuos, vſtoſios, cruſtamq. inducentes, & colli-

colliquatorios forinſecus cuti impoſitos. Sapore ergo acri quoniam præditum eſt chalcantum, ideo ſummè etiam calidum eſſe pronunciatum eſt. & cõfirmat ſumma illius corrodendi potentia, quam illud adeptum eſt, vel ipſo Minder. teſte cap. 3. lib. præallegat. cui enim medicaminum ineſt corrodendi facultas, ſumma quoque ineſt caliditas, quemadmodum indicauit Dinus Florent. & Gentil. Auic. interpretes lib. 2. t. 1. cap. 4. quo in loco de corroſiuis medicamentis differentes, docent omnia calorem fortem (vtque verbis eorum vtar) & acutum participare. & aſtipulatur Arnal. Villanou. lib. de ſimpl. cap. 21. vbi, facto cathalogo corrodentium medicamentorum, in eo vitriolum reponit, eiusq. generis omnia valde calida eſſe affirmat. Enimuero huius claſſis ſunt ea medicamenta, quæ Græci catheretica appellant, quibus eximiam ineſſe calefaciendi facultatem, locupletiſsimus auctor eſt Gal. 5. de ſimpl. med. cap. 15. illiq. ſe ſubſcribit Fernel. lib. 6. Meth. cap. 17. vbi atramentum ſutorium catheriticum medicamentum eſſe affirmat, & catheriticum illud ſtatuit, quod vehementer & iam quarto ordine calidũ eſt.

Quercet. lib. inſcripto peſtis alexicacus

cap. 3.

cap.3. circa medium, & Minder. lib. toties repetito cap. 10. hiſq. aſtipulatus Cæſal. lib.1. de metallicis cap.28. poſteritati ſcriptum reliquere, tum chalcanthum tum vero ipſius oleum ad ſulphuris naturam, & olei illius propius accedere. apud claſsicos verò auctores ratum eſt ſulphur calidum eſſe, calidum quoque atramentum ſutorium decernendum eſt. Calida facultate præditum eſſe ſulphur teſtes habemus Dioſc. lib. 5. cap.33. Gal. lib.9. de ſimp. lib.3. de compoſ. med. per genera cap.2. & lib.5. operis eiuſdem cap. pariter ſecundo, quo in loco de emplaſtro è ſcylla confecto ediſſerit, affirmãdo ſulphur tanto calore præditum eſſe, vt vlcus faciat ſi diutius adheſerit. calidam quoque ſulphuris facultatem agnouit Auer. lib.5. coll. cum de mineralibus verba facit & Auic. lib.2. [redacted] cap.615. qui adeo calidũ, & ſiccum eſſe illud memoriæ mandauit, vt ad quartum gradum perueniat. fauet etiam ratio: quæ enim facile inflammantur, ſiue igniuntur, ceteris paribus, calidiora ſemper ſunt, vt Gal. affirmauit lib.3. de temperamentis cap.1. quem deinceps ſequutus eſt Auic. fen. proxime deducta [redacted]1. cap.3. faciſſime flammam ſuſcipit ſulphur, idcirco ca-

lidum illud eſſe ſtatuendum eſt. Res combuſtibiles inquit Auer. lib. mox citato c. 26. ſunt de neceſsitate igneæ, ſicut ſulphur. hac pari ratione motus Arnald. Vill. lib. 1. roſarij cap. 3. eo quod ſulphur (ſic ille loquitur) inflammabili ſubſtantia conſtat, & quoniam hoc metallis ineſt, in cauſſa eſt cur illa comburantur. itaque ſulphur cum facile inflammetur calefaciendi potentia præditum eſſe aſſeuerandum eſt quanquam aliæ multæ non deeſſent rationes, ſi de illo diſſerere pateretur occaſio, quibus facile comprobari poſſet, illud calidum eſſe. igitur quia atramentum ſutorium parem habet agendi efficaciam, quam ſulphur ſortitum eſt, quod apud omnes calidum eſſe eſt receptum, calidum quoque chalcantum decernendum eſt.

deductio

Animaduertit hanc difficultatem Querc. lib. cit. cap. 4. obſeruat. primæ quam diluit in hunc modum. Si ea ſolum de cauſſa ſulphuri calidam ineſſe qualitatem colligeremus quod ad ignem ardeat & flammas facile concipiat: non diſpari, immo vero fortiori argumento camphora callidior concludi debet, quæ nihilominus proprietate frigida donata, à peritioribus aſſeritur. Eoque magis aſſertio corroboratur, quod eadem guſtui

resp.o Quercetani ad difficultatem

acerrima, & quasi corrosiua sentitur, cum tamen sulphur plane sit insipidum, & nullam palato exhibeat molestiam. sic ille. Cuius argumentatio nullius prorsus momenti est, siquidem camphora suapte natura omnino calida est. Credidere Serapio, & Auic. (inquit Matthiol.lib.1.ad Diosc.cap.75.) camphoram tertio abscessu, & siccare, & refrigerare: quæ tamen, cum vehementer etiam in aqua proiecta conflagret, sit per quam odorata, & adeò tenuuium partium, vt sæpe per se in auram euanescat, illis reclamare videtur. Quo fit, vt quis suspicari posit, aut legitimam camphoram ad nos non adheui, aut hoc loco Arabum monumenta (vt in alijs per quam multis) esse vitiata. Sed hac de re erudita adest Agric. dissertatio lib.4.de nat. fosil. cap. 2. comprobantis calida facultate præditam esse camphoram, non illam refrigerare, vti inter Arabes auctores conuenit opinio. & confirmat illius sententiam Manar. suis in annotationibus ad Mesuem, cum disseritur de trociscis, de camphora, sic perhibens, res noua quam gummi arborum dicunt, & putant valde frigidam, ego eam quæ ad nos defertur, rem factitiam puto, & calidam. Astipulatur Vidius Senior lib. 4.

de medic.cap.4. apud quem ſic ſcriptum reperitur; camphora paratur arte, pertinetq. ad bitumen, eandemq. vim habet. nec frigida eſt, vt nonnulli crediderunt, ſed ſecundo gradu calefacit,& ſiccat: nec coercet veneris impetum quod refrigeret, ſed quod (non ſæcus quam mentha) ſemen extinguat ob ſiccandi vim, quam habet, ob quam vigiliæ cauſa quoque eſt. His conſona dixit Fallop. lib. de vlceribus cap. 31. Auic. inquiens, vtitur bolo armena officinarum (de ambuſtis ſermo eſt) & camphora tanquam medicamento refrigerante: ego quoque camphora vtor, & ei multum fido, ſed non vtor tanquam medicamento frigido, ſed calefaciente: credo enim ego camphoram calefaçere, licet Auic. oppoſitum ſenſiat. His conſentanea in hunc modum ſcripſit Rondel. lib. de officina pharmacopolarum, in ſua vnguenti citrini enarratione. De eius temperatura certo poſſum affirmare (in tractationem enim inciderat de camphora) calidam eſſe, eo quod odorata ſit, & quodammodo ex aërea ſubſtantia,& tenui ob quam tenuitatem ignem facile concipit etiam in aqua, quod forſan aliquos decepit quod ſemen abſumeret, inde ab effectu colligunt ſummè refrige-

frige-

frigerare. Verum est illa secunda operatio, non prima, per accidens, non per se. nam si quando seminis spiritum dissoluit, ob id venerem extinguit, semine absumpto, vt ruta, agnus, menta sicca, & alia calida. Testem etiam affero Leonardum Iacchinum suis in commentarijs lib. 9. ad Almansor. cap. 4. in hunc modum scribentē. postremum camphora est, quam extimant odore frigidam, & frigidæ temperaturæ. Sed ego puto veteres de alio succo, vel gummi locutos. quam nos modo habemus. neque mirum, sunt enim innumera huiusmodi, quæ sub alieno nomine venduntur; vt assa laseris loco; casia loco cinamomi, & quæ mirrha vocatur, & therebyntina, resina, & sandaraca sandix, chalcites. quod vero me mouet est. quoniam quocunque modo ratiōe discurras, & examines, calidam inuenies. Odor enim primum acris, & penetrans maxime id mostrat: mox sapor qui admodum acris est, fere piperi æqualis: quæ sanè duo non modò igneum elementum dominari, sed valde dominari significant. Scio equidem frigida quoque odora esse aliqua ob partium diuersitatem, sed odore ignauo, & tenui, non acri, & valido, vt rosa est, & viola; sed sapor multo cer-

tior nuncius: nam ipſa rei ſubſtantiam attingit vbi odor ſolum quaſi corticem. Quod ſi ratione diſcurras quod maxime & velociſſime ignibile eſt, ignis naturę eſt proximum vt de ſulphure naphta patet. At nihil eſt æque ignibile ac camphura. Vnde ex ea inextinguibilem ferè ignis materiam ad bellum parant. præterea vigilias inducere fatentur, quod non eſſet ſi ad tertium frigiditatis ordinem perueniret. Libeat deniq. Coſteum audire, in ſuis notis ad Meſuem, quo loci de diamanna ſermo habetur, apud quem ſic de camphora proditum reperitur. De huius quoque temperamento dubitare licet. conſenſiunt omnes tertio ordine eſſe frigidam, & ſiccam. nam inflammationibus, ac calidis affectibus, & doloribus ex calore admota confert, quod frigiditatis argumentum præbet. Contra tamen cum odore caput feriat, guſtu ſit acris, ignem prope admota, facillime concipiat, & retineat (nam & in aquis ardet) ad hæc expoſita aëri, aquæ ardentis inſtar euaneſcat, cuius rei gratia ſeruatur in vitro pſyllij, aut millij ſemine obruta ineſſe illi inſigna caloris ſeminaria perſuademur. Quamobrem (quicquid illi ſentiant viri grauiſſimi, quorum ego aucto-

ritatem

ritatem maximi ſemper faciam) camphoram ſummè eſſe calidam ipſe quidem ſuſpicor. neque tamen frigiditatis producere effectus à ratione alienum puto. Cum enim partium ſuarum tenuitate, & calore meatus corporis citiſſime permeæt, & rarefaciat, vt calidiores difflent vapores, atque ſubeunti frigido aëri locus detur probabile eſt, atque hoc pacto per accidens à calido frigus inducatur. Sed & eodem modo medicamentis adiunctam frigidis (cum enim ſeorſum in refrigerandi vſum adhibetur) præſtare frigiditatis opus exiſtimo. Dum enim ſui tenuitate frigidis viam parat, facitq. vt alte penetrent quid mirum quod calida ipſa refrigerij tamen vſum afferat. hactenus ille. Concluditur ergo camphoram, ſulphur, & atramentum ſutorium calidum eſſe: neque illis rationibus contrarium demonſtrari poſſe: adeò, vt veterum de chalcanthi facultate opinionem deſeramus.

De chalcanthi astringenti, & purganti facultate. Cap. II.

Iure merito, mea sententia, lib.9. de simpl. med. miratur Gal. quo pacto chalcanthi vehementissime astrictioni admixta sit caliditas non ignaua. Sortitum quippe illud est astringentem facultatem: quemadmodum, & præallegato loco testatus est Gal. & 4. catatop. cap.4. & cap.1. lib.4. de compos. med. per genera, & 3. de simpl. med. cap.16. vbi atramentum sutorium summè astringens esse perhibuit. cui accedit Diosc. testimonium lib.5. cap.74. & Plin. lib.34. cap.12. scribentis nuper inuentum (de chalcantho dicere orationem aggressus erat) vrsorum in arena & Leonum ora aspergere illo: tantaq. est vis in astringendo, vt non queant mordere. Inest etiam chalcantho eximia calefaciendi facultas; vti capite præcedenti comprobauimus fusè. Quamobrem ex his statim oritur dubium, quo nam pacto id contingere queat. Diserta enim Gal. sententia est lib.6. de simpl. med. cum de balaustico verba facit astringens omne esse frigidum, & famulatur Aetius lib.6. cap.56. dum exara-

exarauit, quæ valde aſtringunt omnino etiã frigefacere. Ideo quia in eorum cenſu medicamentorum atramentum ſutorium reponitur, quæ valde aſtringunt, omnino frigefacere illud videtur conſenſiendum: vel conſtituto illud calefacere illud idem non aſtringere.

Sed eſt notandum medicamentis facultates nonnunquam diuerſas, quinimo contrarias, ineſſe aliquando, quemadmodum Gal. memoriæ mandauit non longe ab initio lib. 1 de alimentorum facultatibus, & 3. de ſimpl. cap. 14. & hiſce verbis indicauit Orib. lib. 14. coll. cap. 9. ac ne illud quidem mirum videri debet, in huiuſmodi facultatibus cum vni, & eidem medicamento vim calefaciendi, & refrigerandi ineſſe appareat, aut exiccandi, aut humectandi, aut tenuuium partium, aut craſſarum: ſiquidem niſi primæ hoc modo complicarentur, eæ quæ ex illis ſequuntur neutiquam eſſent ſimiliter complicatæ. Nam quemadmodum (vt Gal. ait citato cap. 16. lib. 3. de ſimpl.) in ijs, quæ nos componimus, ac commiſcemus, iterum ſi ita viſum eſt, plus aſtringentis ſucci indimus: interim plus dulcis, aut amari, aut ſalſi aut acris, aut alterius cuiuſpiam contrariorum:

nonnun-

nonnunquam verò vtroſq. partibus paribus: ita quoque naturam in arboribus, fructibus, animalibus, & in ipſa quoque terra contrarios temperare ſuccos, paribus aut portionibus, aut viribus alienum non eſt: poteſt etiam quandoq. alterum vincentem efficere. Itaq. actiones eorum in mixturis paribus ſimiles euadunt in imparibus autem diuerſę. Quod decreuit ratiocinio Gal. naturæ operibus cōgruum, mixtum ex diuerſis, vel etiam contrarijs partibus nonnunquam cōflari. Quam contrarietatem chalcanthum nactum profiteri eſt, à qua euenit vt cum calidum ſit, etiam aſtringat. Enimuero tametſi Gal. lib.6. de ſimpl. loco antea deducto, viſus ſit indicaſſe aſtringens omne eſſe frigidum, illud accipiendum eſt de aſtringente, quod tantummodo terreſtre ſit, neque intra ſe alias qualitates, aſtringentibus prorſus conrarias, contineat. Quas comprehendere chalcanthum, ipſa acrimonia docet, quæ caliditatis non ignauæ eſt argumentum, quamuis aſtringenti mixta ſit. Hac ratione motus Gal. lib.5. de ſimpl. cap.14. eorum, (perhibuit) quæ aperientibus aduerſatur ſubſtantia, cum ſit craſſarum partium, & frigida aſtringentium eſt omnium, quæ quidem ad-

mixtam

mixtam non habeant acrimoniam. Certo ſciens acrimoniam facultatem aſtringenti contrariam omnino arguere, quodq. acrimoniam habet, frigidas partes ſolummodo continere minime poſſe. Vnde eſt vt chalcanthum acre cum ſit, & aſtringens contrarias qualitates in ſe complecti decernendum videatur, & ex his caliditatem non infimum locum habere. Arriſit hæc ſolutio Hyer. Merc. apud quem lib. 1. de compoſ. med. cap. 8. in hunc modum ſcriptum reperitur. confirmat ex Mercuriali Dubitatio eſt de chalcantho de quo Gal. 9. de ſimpl. miratur, quo modo maxime aſtringat, & generoſe calefaciat. Si quid enim eſt medicamentum quod valde obſtruat, & aſtringat, eſt chalcanthum: eſt tamen calidiſſimum, non igitur videtur quod hæc facultas ſequatur frigiditatem, & ſiccitatem: reſpondeo, inquit ille, de chalcantho; id quod nuperrime dixi, eſſe corpus ex contrarijs naturis omnino conflatum, cum enim habeat partes igneas, & terreſtres frigidas, ratione partis terreſtris frigidæ aſtringit valde, ratione vero ignearum valde calefacit. Hactenus ille.

Iam ſatis docui chalcantho aſtringentem facultatem ineſſe, quæ toto cœlo cum ſe op-

ponat purganti, indagine videtur dignum cur contingat, purgandi quoque facultatem obtinuisse illud. de hac enim dubitandum non est. Etenim ciere vomitũ testis est Diosc. loco antea deducto, & Agric. lib. 1. de natur. fossil. cap. 12. infernam euacuationem ciere perhibuit. Vidius Senior lib. 4. de med. c. 3. scribendo, atramentum sutorium si ad dragmam vnam ex mulsa bibatur aluum laxare: & confirmauit Ludou. Merca lib. 2. de indicat. cap. 4. quo loco cum demonstrasset chalcanthum astringens esse, & calidum, purgandi insuper facultatem obtinuisse, memoriæ mandauit. quæ eadem Agric. sententia fuit lib. 3. citati operis cap. 17. quibus consona recensuit Minder. cap. 1. præallegati lib. de chalcantho, vbi probi, ac laudati vitrioli signum hoc esse, litteris scriptum reliquit, si crudum per os exhibitum vehementissime tam infernè, quam supernè purget. potest insuper facultatum hæc contrarietas salis exẽplo demonstrari, quod planè astringens esse traditum est à Diosc. lib. 5. cap. 85. & Gal. lib. 9. de simpl. med. & nihilominus aluum ciere illud, proditum est ab auctoribus. huc tendit illud Hipp. lib. de affect. salsa, perhibentis, aluum, & vrinam cient, &

lib. 2.

lib. 2. de diæta, salsamenta aluum leuiter mouent; & rursus, vbi soluere aluum quis voluerit, plurimo tempore cibis immorari confert, & acribus, ac salsis & pinguibus ac dulcibus cum cibis, tum potibus vti; pari ratione lib. 3. de alimẽtorum facultatibus cap. 15. de sero dixit Gal. quãto magis optamus aluũ soluere, tantò plus debemus salis addere. quæ omnia cõprobauit Mes. theor. 2. cano. 3. cum protulit. Salsa medicamenta purgantem vim debilem, ac tardam celerant, & perficiunt: ob id salem gemmam, & alias salis species recte agarico miscuerunt, & epithymo, & alijs purgantibus permultis. Quibus liquet sal, & salsa, astringentia, cum sint, aluum deijcere: & vitriolum ipsum pares, simillimasq. facultates sortitum; quorum caussa omnium inquirenda est.

Sed facilis dubij enodatio est, si eorum fuerimus memores, quæ Gal. docuit 3. de simpl. cap. 14. 15. vbi medicamentorum non nulla ita à natura conflata, memoriæ mandauit, vt cum sistendi facultate, excernendi etiam potentia prædita sint. Et ne à fossilibus discedamus, in æris squama, inquit, sicut duplex qualitas, ita gemina quoque facultas inest: nam & astringit, & mordicat: quare

quare aſtrictione quidem ſiccatas vlceratarum carnium cicatrice obducit: mordicatione vero præhumidas colliquat. Quod ſi intra corpus ſumatur, purgat quidem ventrem, verum non cohibet; vincitur enim aſtringendi facultas ab acri, purgatoriaq. potentia. Ineſt ſali pars terreſtris, & aſtringens: ineſt & ignea, cum qua eſt acrimonia, quæ eædem inſunt vitriolo facultates, quibus illa ventrem laxant. Quamquam de chalcantho dicere etiam poſſumus venenum illud eſſe, & ideo non tantum acredine, verum etiam tota ſubſtantia calori natiuo aduerſari, vnde cum primum ſuſcipit illud ventriculus mordicat, & venefica vi laceſſit; quo fit vt contra illud inſurgens expultrix facultas, & ad vomendum irritetur, & aluum infernam exonerandam: quo fit vt vomitum cieat, & aluum relaxet, quamuis aſtringens ſit.

resp.° 2ª

quest.° 3ª

Et quoniam vitriolo facultas ineſt ſupernam, infernamq. aluum proritare, ea vi, ac potentia qua lapis lazzuli, ſi Minder. habenda fides eſt; qui cap. 1. lib. de chalcantho hoc memoriæ mandauit, poſſet quiſpiam facile quærere, an chalcantho expurganda ſint corpora. Planè ſi de lapide lazzuli proponatur quæſtio (hic enim vitriolum adæquare cre-

re creditur) non facile esset illam diluere. quandoquidem ex medicis sunt, qui vsum illius respuunt, alij qui admittunt. Ipse vero illi sententiæ libentisſime inhereo, vt lapidis lazzuli vsum, ad expurganda corpora omnino reijciendum censeam. Etenim hunc vehementis, & timorosæ purgationis decreuit Auer. 5. coll. cum de mineralibus loquitur, & idipsum de atramento sutorio pronunciandum videtur, quod parem cum illo purgandi potentiam obtinet. Et confirmauit Vid. citato lib. 4. de remed. cap. 3. cum dixit; atramentum sutorium si ad dragmam vnam ex mulsa bibatur aluum laxat, licet non sine periculo excoriationis; quibus adijcio, purgationis vehementiam, & partium contrarietatem, quibus euacuat (supernè enim, & infernè educit) quæ dum efficit medicamentum, & accedit purgationis vehementia, euacuationem reddit suspectam, & periculi plenam. Siquidem in tota tractatione medica illo nullū salubrius est præceptum, ad praxim spectans, quod ab Hip. fuit traditum 2. aphor. 51. multum, & repente euacuare, & replere perniciosum esse: quodq. paulatim fit, illud tutum. quo theoremate has, & huic simillimas euacuationes damnauit.

Simus.

Simus memores alibi dictum ab illo, euacuationes multitudine non eſſe extimandas, ſed ſi talia purgentur qualia purgari oportet. Non enim copioſa, & violenta euacuatio eſt, quæ morbum extirpat. ſed cum votis ita reſpondet, vt morbifica morbi cauſſa excernatur. Quibus adde imprudentis medici eſſe lapide lazzuli, vitriolo, & ceteris huiuſce claſſis velle vti, cum mitiora adſint pharmaca, omni ſuſpicione carentia. Ergo Petrus Foreſt. lib. 9. obſeruat. ſchol. ad cap. 23. de pilulis è lapide lazzuli dicere ſermonem aggreſſus, has, inquit ille, non ignobiles auctores reijciunt, ab alijs vero, vt dicitur, atro colore notantur. Etenim Leonicenus hunc lapidem non minus venenatū cenſuit, quam minium. Atque ego in ea ſententia fui ſemper, eique hærere conſtitui, nuſquam experiri talia (vt hoc tempore noſtri medici iuniores quidam faciunt, ad paracelſica remedia ſine ratione ſæpe inclinati) cum meliorum copia ſuppetat. Quod quidem temerarium, & inſignis ſtultitiæ argumentum, in ancipiti medicamine periculum facere, cum id nulla cogat neceſſitas. ſic ille: Par, ni fortè grauius, periculum impendet ex chalcantho, & id circo illud velle propinare ad

expur-

expurganda corpora noxium, & temerarium censeo. Nam, prӕter quam quod violentam supernè, & infernè euacuationem inritat, hoc non trahendo ducit noxium humorem: sed extimulando, & inritando, quod venenis quam multis est commune, venefica vi euacuationem proritantia; vnde sequitur, vt votis illa non respondeat. qua de caussa vitriolum propinare pro expurgandis corporibus, temerarium, & periculi plenam audaciam ipse opinor.

Chalcanthum vstione an mitius fiat. Cap. III.

SEmetipsum, & nos fefellit Minder. cum lib. de chalcantho cap. 3. memoriӕ mandauit, veteres vix vnquam vitriolo crudo vsos fuisse, sed vsto tantummodo, vel prius cremato, ac fermè in cholcotar redacto. Etenim persuasum habeo, cum vsto, tum etiam crudo veteres chalcantho vsos fuisse. Nam Gal. qui frequentissime chalcantum vsurpat in componendis medicamentis, & interdum chalcanthum vstum commemorat, alias chalcanthum solum absque adiectione, vt videre est lib. 5. de compos. med. per ge-

 nera

2ª nera cap. 14. & lib. 3. catatop. cap. 3. hoc
non inconsulto fecisse existimandum est; sed
vt indicaret cum vstum, tum vero crudum
vsurpatum chalcanthum in conficiendis me-
dicamentis: alias si vsto semper vsus fuisset,
frustra locis citatis fuisset monitum, vstum
nonnunquam admiscendum chalcanthum.
3ª sed est clarius locutus ipse Gal. 4. catatop.
cap. 4. vbi in astringentium ordine chalcan-
thum reponit, & multo moderatius reddi,
subiecit, vstum, & lotum, vt insinuaret, &
vstum, & crudum apud illum chalcanthum
vsurpari. quod ipsum dilucide eiusdem ora-
4ª tio demonstrat lib. 4. de compos. med. per ge-
nera cap. 5. distinguentis facultatem chal-
canthi ignem non experti, combusti, & loti,
quæ sane distinctio, & animaduersio inanis
fuisset, si combusto solummodo seniores vsi
fuissent chalcantho. Et accedit Gal. eiusdem
5ª testimonium lib. 5. meth. cap. 4. asserentis,
ad crustam efficiendam chalcanthum vstum,
& crudum valere. Quibus clare insinuauit
crudi vitrioli vsum minime illum abhorruis-
6ª se. pari consilio Paul. lib. 7. cap. 13. cum
de aridis medicamentis orationem exordi-
tur, non longe ab initio, in reprimentium
ordine atramentum sutorium reponit ignem
non

non expertum, & paulo inferius quo loco de medicamento flauo loquitur, ad illud conficiendum inter cætera medicamina, dragmas viginti atramenti sutorij vsti admiscendas consulit. Ex quo certiores reddimur vstum, & crudum vsurpasse veteres chalcanthum, non autem combustum solum, vt docuit Minder. quibus pugnantia tradidit cap.6. lib.cit. cum Dioscor. laudat auctorem, qui vitriolum crudum vsurpauit, apud illum hæc legantur. Dioscor. vitriolum crudum assumptum pro necandis ascaridibus probat; illudq. commendat his, qui fungis venenatis pasti sunt. Sic ille. Veritas enim, quæ tractu temporis suum semper locum sortitur, compulit virum fateri, crudo etiam veteres vsos fuisse chalcantho.

Sed hæc missa faciamus, & propositam quæstionem enodandam prosequamur. Porrò si ex Minder. quæramus mitius ne fiat, an violentius vitriolum dum comburitur: hic cap. 2. & 6. lib. cit. in eam sententiam inclinasse visus est, vt violentius fiat, quando combustione venenum effici notauit, & crudum venenatum adeò non esse. Quamquam cap.10. obijcientibus vitrioli vim, chymica præparatione exaltari, & intendi; respondet

neſcire illos quædam mineralia vſtione miteſcere; aliqua vero exaſperari, & acria euadere. Quæ argumenti ſolutio, nullam ſortiretur efficaciam, niſi chalcanthum in eorum mineralium numero reponendum concedat, quæ vſtione miteſcunt. Sed viri huius narrationes ſilẽtio donemus, & ex Gal. quæſtionem profligemus, qui loco proximè citato lib. 4. de compoſ. med, per genera eam ſententiam ſecutus eſt, vt atramentum ſutorium omnino mitius reddatur vſtione. Eius etenim verba hæc traduntur; nulli dubium eſt mitia pharmaca mihi dici diphringes, ſarcocollam chalcitidem vſtam, item combuſtum æs, eruginem, & chalcanthum, quæ ignem non expertia acria omnia ſunt: combuſta moderata, lota poſt combuſtionem leuia, mordicacitatiſque fiunt expertia: quibus famulantur, quæ decreuit Auic. lib. 2. tract. 1. cap. 5. cum voluit inter cæteras, eam ob cauſam medicamentum aduri, vt frangatur acuitas illius. hocq. atramenti exemplo, & colchotaris declarat. quibus vſus eſt tanquam renotiſſima, vt chalcanthum aduſtione mitius reddatur.

At ſubcreſcit dubium quanam id ratione contingere quæat. ſiquidem Dioſcor. lib. 5. cap. 78.

cap. 78. expedita tractatione de chalcantho chalcitide, misy, melanteria, & sory subiecit, hæc omnia cruda remissiora esse, combusta vero viribus efficaciora reddi; quibus docuit vstione violentius, non mitius effici chalcanthum: & astipulatur Halliab. lib. 2. pract. cap. 47. vbi in eam opinionem euectus est, vt cholcotaris subtilitas vstione augeatur. & adurendi efficacia fortior fiat. accedit ratio. quoniam vt Arist. auctor est lib. 2. de part. anim. cap. 2. adusta ferè omnia aliquid acquirunt caliditatis: namquè feruore nimio cum exaruerint aliquid caliditatis relictum continent; in quam sententiam est locutus Gal. lib. 2. de compos. med. per genera cap. 2. cum voluit, combusta omnia ignis commercio nonnihil mordacitatis (quæ est caliditatis argumentnm) proseruare. Quibus ex omnibus deducendum videtur, eo quod combusta caliditatis quippiam acquirunt, atramentum quoque sutorium vstione seipso calidius, fieri, & ex consequenti violentius non mitius reddi.

Pendet dubij solutio, ex ijs quæ Gal. habet lib. 9. de simpl. cap. 1. dum asseruit, acria caloris multum amittere adusta; quæq. eiusmodi nõ sunt assumere. & confirmauit Aetius

lib.2.cap.1.& 78. de chalcitide in hunc modum ediſſerens . quæ natura acria ſunt, vſta mitiora fiunt; reliqua acriora . Itaque atramentum ſutorium in acrium medicamentorum ordine, quoniam locum ſortitur, mitius effici rationi conſentaneum eſt . Cæterum aliqua habenda eſt etiam combuſtionis diſtinctio . Nam vt mitius fiat chalcanthum, ad perfectam calcinationem perueniat opus eſt. Metallica enim dum præparantur ad ſiccandum ſine vllo morſu (Gal.teſte 4.de compoſ.med.per genera cap.6.) coquere diutius oportet . Ex hoc etenim mitiora redduntur. Si vero ita comburantur, vt ad aſſationem perueniant quam chymici appellant rubefactionem , violentiora fieri neceſſe eſt . In quam ſententiam loquutum arbitror Dioſc. & Halliab. dum voluerunt,illud viribus reddi efficacioribus combuſtum . quamuis vſta caliditatis aliquid ſemper acquirant : nihilominus in ijs quæ acria ſunt (quale eſt chalcanthum) calidarum partium plus conſumitur , quam ignitionis , ſeu empireumatis acquiratur . Vnde ſequitur , vt ad perfectam calcinationem redacta , & ſi empireumatis quippiam adipiſcantur, mitiora tamen ſe ipſis reddantur .

Oleum

Oleum chalcantinum quo artificio fiat, quæq. illud propinandi ſit doſis. Cap. IV.

SVblimandi artificium antiquis ignotum, ſubodoratum fuiſſe Ariſtot. 13. publ. 6. opinatus eſt Merc. ſuis ad lib. 3. acut. comment. tex. 37. quæ viri aſſertio vt probatione caret, ſic de ſublimatione auctores Arabes clarius locutos in confeſſo eſt. Etenim Auic. f. 2. p. ſum. p. doct. 2. cap. 15. ſublimatione, ac deſtillatione aquas prauas rectificari dixit; & f. 6. 4. t. 2. cap. 2. &, 9. argenti viui, & arſenici ſublimati meminit. at clariora apud Meſuem habentur teſtimonia, quibus in locis de roſa ediſſerit, deque abſynthio, de oleo iuniperi, & philoſophorum oleo loquitur. Verum hoc artificium ad culmen perduxere Arabibus poſteriores, à quibus oleum vitrioli conficere fuit inventum, de quo agentes, non omnium placita recenſere operam dedimus: ſed nonnullorum conficiendi modum, tanquam exemplar apponere, vt ex eo artificio facultates illius, quantum deſtillandi ars, patitur, venari poſsimus.

Ambroſius Paræus lib. 26. cap. 16. Oleum è vitriolo in hunc modum conficit. Cape vitrioli libras decem, quas in pollinem redactas fictili include, carbonibus candentibus impone, vt calcis conſiſtentiam adipiſcatur, quod tum contingit, cum rubeſcunt: poſt quinque vel ſex horas, cum fictile refrixerit, confringetur: rurſumq. chalcanthum in pollinem comminuatur, vt iterum in calcem eat: idque tamdiu, & toties iterabis quoad perfectè calcinatum apparuerit; nempe cum exactè rubuerit: tum igitur denuo in pollinem redigetur, & in retortam figulinam immittetur ei ſimilem ex qua aqua fortis elicitur, addito in ſingulas chalcanthi in calcem excocti libras ſignini lateritij quartarium vnum. Hinc retorta excipulo ſuo inſtructa imponatur fornaci, reuerberationis igne flammante ſemper ſuſcitato, ideoq. per ſpatium quadraginta octo horarū plus minuſuè, pro aquæ ſtillantis modo, & copia. Deſtillationem vero tum perfectam intelliges, cum excipulus natiua perſpicuitate nitere ceperit, haud iam plenus ſpiritibus vaporoſis, quibus quamdiu humor ſtillat obſitus eſt ſubalbicat. Quod vero ad excipulum attinet, duo tibi ſunt notanda, Primum vt magnus

ſit &

ſit & valde capax: ne ſcilicet confertim affluentium vaporoſorum, ſpirituum copia diſtendatur, & rumpatur, vt non raro contingit. alterum vt in cupa frigida aqua plena collocetur, ne ſi nimium incaleſcat diſſoluatur, & diffringatur.

De oleo vitrioli conficiendi artificio in hunc modum loquitur Fallop. lib. de cauterijs cap.4. Vitriolum in olla exuritur in fornace donec rubeum reddatur, tunc refrigeratum molitur in mortario, deinde in cucurbita vel pomo vitreo optime luto ſapientum incruſtato (hæc ſunt vaſa quibus quandoq. vtuntur Chymiſtæ) in furno chymiſtarum, quem vocant de reuerbero, ponitur. Additur ignis primò lentus, non ex carbonibus; ſed lignis opportunis primò tenuioribus, deinde ſolidioribus, donec omnis humiditas ſiccetur: quod notum erit ſi deterſum gladiolum & ſiccatum ori cucurbitæ appones: nam ſi adhuc humiditas exalat ſuperficies gladioli humida reddetur: ſi ſiccatum erit, ſicca & ipſa permanet: tunc apponatur recipiens vas dictum optimeq. rimæ ſtipentur. Ignis augeatur, vt fumus & ſpiritus ex chalcantho in recipiens tranſmittantur: & cum egredi cœperit ſpiritus, ſtatim recipiens eſt tegendum

dum linteo aqua frigidiſſima madēte, & cum ſiccatum fuerit replicandum donec egredi deſierit ſpiritus. Poteſt etiam dimitti vſus huius lintei madentis, ſi timemus ne vas recipiens ob tenuitatem frangatur. Quare huius rei loco nos exigemus furnum in loco humido, & ſubdiù, vt ambiens aër ſinè fracturæ periculo illud agat, quod linteum ageret, ac ſpiritus denſet ac cogat. Tunc auferendus eſt ignis, dimittendo omnia, vt refrigerentur: deinde ſumma diligentia diſiungenda ſunt vaſa, & oleum colligendum.

Vidius Senior lib. 8. de med. cap. 12. hanc præſcribit conficiendi illud rationem. Accipito vitrioli Romani quantum volueris, vaſi vitreo luto obducto inditur, ex igne phlegma deſtilletur, deinde illud eximatur, contundaturq. & phlegmate rurſus perfundatur, idemq. euocetur, vt antea vſque dum nihil amplius emanet, & ſpiritus perſiliant, poſtea ab igne remoueatur, & calx rubicundam in puluerem redacta, vel per ſe ſola, vel laterum fruſtulis adiectis, ampullæ incuruatæ, imponatur, & vaſe amplo quod excepit adaptato, commiſſurisq. diligentiſsimè luto obſeratis noctu dieq. luculētiſſ. igne vrgendo oleū deſtilletur. Vbi omnia refrixerint, totus liquor

quor eximatur, infundaturq. ampullæ vitreæ, vt ex arena calida primum aqua inſipida, deinde acida, acrisq. quam oleum appellant, ſeparetur purgeturq. à ſedimento.

Operam dedit Querc. docere quo artificio oleum è vitriolo eliciendum ſit, in ſuo ſclopetario, circa libri finem, in hunc modum ſcribendo. Vitriolum contuſum imponatur in cucurbitam, & ſubijciendo ignem ſecundi gradus exibit aqua acida quæ phlegma vitrioli dicitur. Recipe feces ſiue caput mortuum quod reſidet in fundo vaſis, quod colcothar dicitur: ipſo contuſo ſilices permiſcueris igne violentiſſimo oleum rubicũdum emanabit. Fiet etiam cum ſimplici colcothere pulſo igne violentiſſimo, trium dierum ſpatio: ac prodiбit oleum feruentiſſimum, quod dulcificatur circulatione, cum vini ſpiritu tartarificato. 4

Libeat denique Minder. audire cap. 9. lib. chalcantho hæc dictantem. Sumito colcotheris ad rubedinem exuſti quantum volueris, id in parua fruſtula diffractum, vel groſſo (vt loquuntur) modo pulueriꝫatum. Cæterum ſi in tenuem pollinem redigatur, non ita prompte ſuccedit negocium) in retortam capacem ac amplam, ex optima terra figulina con- 5

na confectam, quæ vim ignis sufferre queat, intusq. vitreatam, inde adiectis frustulis coctorum laterum, qui vna cum colcothere hoc igniuntur: cauendum tamen ne retorta vltra tertiam partem repleatur, huic amplissimum vas recipiens applica, luto philosophico, aut pasta hermetica ex albumine oui, calce viua, scoria ferri, bolo armeno, sale, argilla, glutine dissoluto, & simillibus confecta rostro retortæ tenaciter agglutinato: deinde igne aperto à secundo caloris gradu, ad intensissimum vsque, & extremum oleum colcotheris vrge, cauendo ne recipulum rumpatur, aut fissum dissiliat, ignis hunc intensum gradum largo tempore protrahe, vsque dum nihil amplius olei stillare, vel fumosi vaporis in excipulum euomi notaueris. Tum vero in vtre vasis recipientis oleum habebis vitrioli perfectum, illudq. acidissimum, quod, vt à fecibus repurgetur, cucurbitæ inditum ex arena calente per alembicum pellatur, & sic reddatur prius: quod enim in fundo remanet chymicis magis vsibus ad metallorum opera deseruit, tu nobile illud quod alembicum transcendit in vsum medicum reserua, ac eo fidenter vtere.

Hos, & simillimos tradunt auctores oleũ

ex chal-

ex chalcantho conficiendi modos, illudque cum deuorandum cenſent, à tribus, ad ſex vſque guttas propinant. Pondere, quam menſuram definjt Claudin. lib. 2. de ingreſſu ad infirmos ſect. 2. cap. 19. vbi ſcrupulum illius medium præberi dixit, & adiecit doſim augendam pro maiori, & minori materiæ leſione: vnde cap. 28. ſect. eiuſdem à ſcrupulo medio, vſque ad ſcrupulum integrum præbendum dixit. A quo non receſſit Mercatus, cum lib. 3. de morbis inter cap. 16. ileo laborantibus vſque ad ſcrupulum vnum propinari poſſe aſſeuerauit.

Oleum chalcanthinum an ſit calidum. Cap. V.

ADeo figmentis inuoluere Chymici oleũ chalcanthinũ, vt ad frigidam tandem temperiem perduxerint, acriter contendendo non illud calefacere, ſed omnino refrigerare. Inter quos eſt Querc. in ſuo peſtis alexicaco cap. 3. Minder. vero lib. de chalcanto cap. 10. cauſticum quidem, & ſumme calidum eſſe profitetur, attamen diuerſimode accommodatum, & debite correctum maximopere refrigerare: quippe qui paulo ante tradiderat refrigerare cum infrigidantibus,

& cum

& cum calefacientibus calefacere. Qua in parte Ioannem Cratonem secutus videtur, qui, vt loco præallegato Querc. memorat, illam sententiam secutus est, vt oleum vitrioli cum refrigidantibus datum refrigeret, cum calefacientibus calorem augeat. Sed rectius, me iudice, ij locuti sunt, qui oleum chalcanthinum calidum esse decreuerunt. Cui sententiæ inhæsisse Manardum opinor, dum lib. 18. Epist. 2. in oleo vitrioli vim igneam inesse, arbitratus est, qua procul dubio careret, ni illud esset calidum. Confirmat hanc opinionē Vidius Senior de cur. gener. part. 2. lib. 12. cap. 10. cum inter septica medicamēta, pro debellandis strumis, oleum atramenti sutorij reponit. Septica vero, seu putrefacientia medicamenta in calore excedere, testis est idem Vidius lib. 1. de med. cap. 15. quare, cum septicum faciat oleum chalcantinum, illud quoque calidum esse omnino profitetur. Qnibus cohærent quæ idem auctor perhibuit, cum lib. 12. de morb. gener. cap. 3. adurens medicamentū esse illud confessus est necnon adurentia medicamenta vehementer calida testatus est lib. 15. cit. operis cap. 11. adeo vt, quia adurens est medicamentum, calidum quoque esse, ex illius

senten-

ententia decernendum ſit. Fert ſuffragium Hyer. Capiuac.lib.1. meth. cur.corp. affect. cap. 43. vbi nactus occaſionem de cauſticis dicere, quæ calida eſſe comprobat, in ea claſſe oleum chalcanthinum reponit. Aſtipulatur Mercur. lib. 1. de compoſ. med.c. 20. quo in loco oleum vitrioli, adeò calidum eſſe affirmat, vt etiam exurat. Ab hac ſententia ne latum vnguem receſſit Fallop. cum lib. de cauterijs cap. 3. oleum ſulphuris dixit, & vitrioli vehementiſſime igniuntur, & comburunt. & cap. 11. eiuſdem lib. in cathalogo medicamentorum calidiſſimorum, idem oleum reponit, vt compræhendamus non tantum calidum illud eſſe. ſed ſumme calidum. & ſuam hanc ſententiam repetit lib. de vlceribus cap. 13. de cauſticis medicamentis verba faciens, quæ calida ſtatuit in quarto gradu, eaque diſtinguit in eſcharotica, ſeptica, & chateretica: & de eſcharoticis rurſus orationem exorſus, vitrioli oleum collocat, certo ſciens illud ſumme calidum eſſe. ad hęc Card. interpres aphor. illius poſtremi, quæcunque medicamenta non ſanant, ea ferrum ſanat: quæ ferrum non ſanat, ea ignis ſanat: quæ ignis non ſanat, incurabilia exiſtimare oportet. Ignis nomine, vel ignem ipſum interpre-

terpretatus eſt, vel quod igneam habeat caliditatem: cumq. ea recenſet medicamina, quæ potentia caliditatem igneam ſortiuntur, oleum vitrioli commemorat, vt ſignificet caliditate ignea illud præditum eſſe, & calidum eſſe, idem auctor teſtatus eſt, dicitur primo de venenis cap. 19. chalcanthinum oleum calidum venenum eſſe arbitratus eſt. Opinionis eiuſdem auctorem laudare eſt Ludouicum Mercat. quando operum ſuorum tract. 1. lib. part. & claſſ. 3. quæſt. 211. olea recenſebat, quæ thoracem calefaciunt, & in eo cenſu vitrioli oleum connumerat. & lib. 1. de morb. inter cap. 13. apopleticis vtilia afferens præſidia, cum ad eam partem peruenit, quæ adimpletur vi pollentibus calefaciendi, & exiccandi, vitrioli oleum affert, & lib. 3. operis eiuſdem cap. 16. inter cætera, oleum vitrioli præſidium cenſuit, quo pituita diſſecari poſſit. quæ quia caloris opus ſunt omnia, & chalcanthino oleo perfici poſſe opinio eſt, argumentum præbent, illud calidum eſſe. Claud. denique lib. 2. de ingreſſu ad infirmos ſect. 2. cap. 27. vbi decreuit eſcharotica calidiſſima eſſe medicamenta, & finem quarti gradus attingere, in eorum ordine ſulphuris oleum, & chalcanthi reponi, dixit.

dixit. adeo vt, nobilium medicorum testimonio fulti, vitrioli oleum calidum esse, affirmare possimus.

Ratio etiam non ignaua demonstrat, chalcanti oleum calidum esse. Enimuero citra controuersiam istud causticum est, quæ calori soli debetur facultas. In quam sententiam sect. vlt. cantices num. 46. dixit Auic. omnis medicina vstica est magni, & fortis caloris, & vltimæ grossitiei: & astipulatur Halliab. lib. 2. pratt. cap. 17. conburentia medicamina, inquiens, sunt quorum est in vltimo caloris cõplexio. & famulatur Auerr. 5. coll. cum de causticis verba facit, istæ, perhibens, medicinæ debent esse in fine caliditatis cum grossitie, & tunc facient opus, quod facit carbo. Igitur Mesues dans præcepta theor. 1. quibus medicaminum temperiem dignoscere possimus, vbi ad summe calida peruenit, hæc, inflammatione, & vstione cauterij modo discerni, memoriæ mãdauit: adeo vt compertum sit, ex auctorum iam deductorum sententia, quæ caustica sunt medicamina, quale est chalcanthinum oleum, eadem summe calida esse. Quam sententiam Gal. ipsum secutum persuasum habeo, dum lib. 5. de simpl. med. cap. 15. vrentia, à non vren-

tibus medicamentis, caloris exceſſu diſtinguit: & confirmauit vſtionem caloris opus eſſe lib. 4. operis eiuſdem cap. 19. quando ſcribebat. Ad acres orationem vertamus, ac primum exacte ipſos calidos dicimus, deinde exedentes, vrentes, cruſtam molientes, ac denique etiam colliquantes. eoſq. omnes, vel cuti impoſitos eſſe huiuſmodi. Quibus conſona poſteritati ſcripta reliquit Aetius lib. & cap. 1. vbi gradus calefacientium medicamentorum recitans, tertium, inquit, qui fortiter calefaciat, non dum tamen vrat. Poſt hunc quartum, & vltimum, qui vſterius eſt. & paulo inferius; rurſus, ait, in calidis anhetum fœnu græcum primo ordine ponamus, in ſecundo, quæ ſecunda apparent, ita & tertia, & quarta, donec ad vſtiora deueniamus. Annuens cum ad vſtiora ventum eſt, vltimum caloris gradum aſſecuta, medicamenta. Quam ſuam ſententiam repetijt lib. 2. cap. 119. cum dixit, omnia quæ cauſtica appellantur, quarto ordine calefacere. Ergo illius opinionem non facile admiſerim, qui docere conatus eſt exiccantis facultatis opus eſſe, combuſtionem, quæq. potentia vſtiora ſunt ſiccitate ſola, quemadmodum, quæ actu, vt ignis, comburere.

namq.

namq. vti probatum eſt medicamina caloris vi comburere; ita quæ energia comburunt, vt ignis, vi calefacientis qualitatis exurere; teſtem affero Ariſt. qui lib. 2. de ortu & interitu t. 21. ſcribebat, eſt ignis caloris exceſſus, veluti glacies frigoris. nam congelatio & vſtio exceſſus ſunt quidem frigoris, ille vero caloris. & comprobat hanc veritatem Ariſt. eiuſdē elocutio prima problematū 56. dilucide aſſerentis calorem ambuſta facere. Itaq. lib. 2. de part. animalium cap. 2. ex multis diſtinctionibus quas affert ad declarandum, quo pacto vna res, alia calidior dicatur, inter cæteras hanc affert, vt amplius vrat, quod per ſe calidum eſt, vt flamma, quam aqua feruens. quibus conſenſiunt, quæ memoriæ mandauit 3. probl. 25. cum exarauit, nihil prohibere rem eandem ex contrarijs cauſsis effici, dummodo eodem modo nō agant; ſed diuerſe, vt e. g. inquit ille, vritur à gelu, & à calore. Quo in loco prætermittendum non eſt, monitum ab Ariſt. diuerſimode à frigore, & calore effici vſtionem: quoniam ipſe calor primo & per ſe adurit; frigus vero methaphoricè & impropriè, quod inter ceteros indicauit Cagnat. lib. 1. variar. obſer. cap. 6. dum ſcribebat. Vri herbas à

frigore dixerim non propriè (esset enim proprie si à circumstante frigore calor augeretur) sed translatione propter euentus similitudinem: quoniam vel alimento transitum prohibendo (quamobrem necessum est calorem marcescere) vel calorem ipsum extinguendo frigus ita herbas arefacit, sicut ignis auctor vstionis proprius consueuit. Neque Aristotelicæ sententiæ se opponit Gal. 1. de simpl. cap. 18. quasi voluerit escaræ generationem non effici à calore ignis sed ab alia facultate; quæ non est nisi exiccans: adeo vt adurendi potentia à siccitate pendeat, non à calore. Gal. ipsius verba hæc traduntur. Neque sanè ignis ex sua ratione, aut quod calefaciet ipsum sistere potest: verum idcirco, quia cum vrat, quæ contigerit quod exustione reliquum est operculum subiectis partibus relinquat, id quod Græcis appellari consueuit escara. Hæc ille. qua oratione minime substulit vstionem à calore ignis: sed explanauit caloris opus non esse sanguinem sistere, qua de re illi sermo erat, sed crustæ, seu escaræ ab vstione prouenientis, quę operculi instar sanguinem fluentem reprimit. Liquet ergo ex his calore nō siccitatę ignem adurere: Enimuero vt Halliab. tradebat lo-

co an-

co antea deducto, ignis si semel obuiet corpori vrit fortitudine sui caloris. quæ omnia cõfirmauit Iacob. de part. f. 2. 1. sum 2. doct. 2. cap. 1. cum protulit, adustio fit à sola extrinseca vehementi caliditate, & ideo est motus merè violentus. Hoc sibi voluit Petrus Aponensis conciliatoris sui differ. 15. cũ adurere caloris opus esse dixit. Igitur medici de cauterijs agentes, vstionem calori referunt, non siccitati. Hoc indicauit Vgo Senens. f. 4. 1. cap. 29. apud quem scriptum reperitur. cauterizatio, quæ non est aliud quam vehementia calidi, est duplex. quædam fit à cauterio actuali, quædam potentiali. Vnde cum Petrus Apponen. citati operis diff. 208. decreuit cauterium fieri ex medicamentis potentia vstorijs calidis, & siccis in quarto maxime gradu, adurens facultas non exiccanti qualitati referenda est, sed calori ipsi, cui exiccans facultas copulata sit. Hoc visus est indicasse Gal. 5. meth. cap. 3. cum perhibuit, escaram efficiunt tum ignis ipse, tum quædam medicamenta, quibus vis ignea inest. at ignea vis non siccitate sola, nec calore solo efficitur, sed ambabus simul copulatis qualitatibus, quamuis adurendi efficacia à calore potissimum pendeat, cuius actionem

contemplati auctores, ab hac proficisci adustionem protulerunt, siccitate omissa. & quamquam Gal. lib. 5. de simpl. cap. postremo quæ summe siccantia sunt medicamina adurere dixit, sic perhibens. nullum inuenire est quod quarto ordine exiccet, quod non etiam vrat. Attamen locus ille hunc sortitur intellectum, vt calefacientibus medicaminibus in quarto gradu nonnunquam copuletur siccitas summa, & in gradu quarto pariter, aliàs remissior, & in gradu tertio: cumque calori iungitur siccitas summa, & in gradu quarto adurere illud sit necesse; vbi vero hanc remissiorem obtinet, necessario istud non contingere. quod sensisse Gal. admonet Iacob de part. f. 2. 1. sum. 1. doct. 2. cap. 15. hæc scribendo. Inter medicinas siccas nulla reperitur sicca in quarto, nisi sua siccitas coniuncta fuerit caliditati adurenti, sed in tertio gradu siccæ plures inueniuntur non adustiuæ. iuxta illud Gal. vbi supra, caput enim istud Gal. quod præ manibus examinandum habemus, supra attulerat.

Verum obijciunt nobis acetum, de quo Archigenes apud Gal. 8. de compos. med. secundum loc. cap. 4. sic scriptum reliquit, spongiam acerrimo aceto imbutam pedibus, ac brac-

ac bracchijs imponito, vſque quo bullæ excitentur, præcipue ſi cibos reiectent. Excitat enim bullas acetum (deinceps adijcitur) non vt acre, ſed vt acidum, immo vt ſiccum: ſapor enim ſolum guſtum mouet. Explanare ſcilicet operam dederunt, acetum dum bullas efficit non alia qualitate, quàm exiccante illas excitare: quamobrem iure optimo ad ſiccitatem vſtio referenda eſt, non ad calorem. At notabam ipſe de Galen. ſententia mixtas in ſe partes acetum continere, quarum nonnullæ frigæfaciunt, calfaciunt aliæ. Et quemadmodum mixtas partes ex calefacientibus, & refrigerantibus ſortitum eſt: pari ratione compoſitum habet ſaporem ex acido, & acri conflatum, vt Gal. ipſe inſinuauit 4. de ſimpl. med. cap. 3. dum tradebat, acetum ad vnguem vnum non eſt, neque tantum acidum, ſed alium quendam ſaporem acrem admixtum habet. Qui eo quod caloris ſoboles eſt, vbi is ineſt, acris ſapor, coniectandum eſt, caliditatem quoque ineſſe, quemadmodum Gal. ipſe affirmauit in calce cap. cit. in hunc modum ſcribens. porrò vbi mixta tibi qualitas appareat cum acrimonia, coniectādum eſt caliditatem quoque ineſſe: vnde, cum Gal. in aceto acrimoniam

esse fateatur, calida facultate etiam præditum apud illum in confesso est. Et hoc ipsum asseuerabat clarius cap. 3. lib. 4. de simpl. cū dictabat, aceto acrimoniam quandam ex calefacientem inesse. & 2. catatop. quo loco de ijs sermocinatur, quæ Apollon. proponebat ad capitis dolorem ex ebrietate, eo nomine aquoso magis, quam acerrimo aceto opus esse significabat, quoniam quod acerrimum est caliditatem aliquam in se complectitur. His adde, posse acrimoniam aceti adeò augeri, vt maiorem caliditatis quam frigiditatis gradum complectatur. Quod appositè expressit Matthiol. lib. 5. in Diosc. cap. 13. cum perhibuit, fieri potest vt reperiatur acetum adeo vetustate acerrimum. vt plus habeat caliditatis, quam frigiditatis: Agnouit, vt opinor, etiam Arist. frigiditate maiorem caliditatis gradum sortiri posse acetum, vbi 33. probl. 5. memoriæ mandauit, singultum idcirco sedari aceto, quia humor circumstans, ac prohibens eructandi licentiam in spiritum, per vim aceti calefactoriam extenuatur. Et clarius expressit probl. 17. sect. eiusdem, cum dixit; Vis aceti calefactoria est. Acetum ergo quamuis partes sortitum sit, frigefaciendi potentia præditas, calefaciendi

ciendi etiam facultate fultum eſt, & cum acido acrem ſaporem admixtum habet. Quæ verò acria ſunt illa adurere, teſtem affero Gal. 4. de ſimpl. cap. 18. vbi cum declaraſſet, acres ſapores omnes ſummè eſſe calidos, ſubiecit, terminum ſaporis acris eſſe combuſtionem. & perbelle confirmauit lib. 9. de ſimpl. chalcithis exemplo, quæ & ſi aſtringendi vim admixtam habet cum acredine, nihilominus quia illud, quod ineſt acerrimi ſuperat, merito etiam comburit, eſcharamq. efficit. Itaq. ſi acerrimi facultates aceti contemplemur, quo opus eſſe dicebat Archigenes ad ampullas efficiendas, caliditatem exuperantem compræhendemus: quæ, vbi acrimoniam habet adiunctam (qua ſanè non caret acetum, & ſi acidum ſit) cum partium tenuitate, puſtulas inducere valet: quarum efflorescentia non in ſiccitatem eſt referenda, ſed eius caliditatem, tenuitati partium copulatam.

Cauſtica igitur vis quæ chalcantino oleo ineſt, illius demonſtrat ſummam calefaciendi potentiam. & rurſus eam declarat ſi perſcrutati fuerimus ſecerni illud in deſtillatione (quod eſt commune oleis quam multis arte Chymica elaboratis ex mixti parte calidiore, &

re, & magis ignea. Quam veritatem nos docuit Vidius lib.3. de med. cap.8. dum fatur. in ijs quæ craſſiora ſunt (de deſtillatione loquitur) exijt primo humor aquoſus, qui in ſuperfice verſatur, deinde oleum quod valde glutinoſum requiritur ad connectendum, colligandumq. partes terrenas plurimas, in quo verſantur calidæ partes, atque igneæ, quas par eſt vnà effluere. Hinc Ponſettus p.2. ſuæ philoſophiæ lib. & tract.4. cap.8. cum de metallis ediſſerebat, querens, quamobrem ex quouis corpore extrahi poteſt oleũ, nitrum, & aurum: vt rationem reddat; oleum idcirco extrahi ſubiecit, quoniam in vnoquoque reperitur pars vntuoſa, & pinguis, quæ in deſtillatione liquefacta exit ſub forma olei. Planè calidiorem mixti partem ſecerni in oleum chymica arte elaboratum, eaque de cauſſa illud ſumme calidum effici, teſtem habemus Manar. in ſuis notis ad Meſu. quo loco de oleo philoſophorum verba faciens, illud ſentire ſe profitetur, vt olea omnia arte chymica elicita, adeo excalfaciant, vt ignem ipſum adæquent, & ſuperent. quod pronunciandum de oleo chalcantino ex eo deducitur, quod vis ignea illi inſit, vti ex illius ſententia antea retulimus. Et latè comprobatur

ex eo

ex eo quod cum ſecernatur illud ex chalcantho, quod admodum calidum eſt, etiam chalcinatum argumentum præbet, oleum vitriolo ipſo eſſe calidius, & feruentius.

De olei Chalcanthini ſapore. Cap.VI.

VT varia auctorũ eſt opinio de olei chalcanthini facultate, pari ratione ad propriam comprobandam ſententiam de illius ſapore, varias ſententias in medium attulere. Enimuero Luſit. enarrat. 74. ad Dioſc. lib. 5. vitrioli, inquit, olei gutta in aquis cordialibus merſa acetoſas reddit, cum quadam ſtipticitate. quo ſignificauit acidum omnino ſaporem ineſſe illi. quibus conſentanea memoriæ mandauit Querc. de med. ſpagyrica præpar. cap. 9. vbi acerbe in eos inuehitur, qui acrem illi ſaporem ineſſe arbitrati ſunt, cum potius acidus ille ſit. in quam ſententiam eſt locutus Mercur. lib. 1. de compoſ. med. cap. 17. & 20. dum liquorem acidiſſimum eum eſſe teſtatus eſt, quem vitrioli oleum appellant. Econtrario noua litterarum commendatione nuper exaratum inuenimus, neque vitriolũ, neque eius oleum aciditatem habere, ſed acrimoniam, eamq.

non

non vulgarem. cui conſentit Cæſalp. lib. 1. de metallicis cap. 22. cum perhibuit, hodie per deſtillationem extrahunt liquorem acerrimum,quod oleum vitrioli appellant: à quo non diſceſſit Card. cũ lib. 1. de venenis c. 19. acri ſapore oleum chalcanthinum, vti alia nonnulla venena diſcerni, poſteritati ſcriptũ reliquit. Alij denique mixtum illi ſaporem ineſſe arbitrati ſunt ex acri, acidoq. conflatum. quod indicauit Vidius lib. 8. de med. cap. poſtremo, quo loco acidam acremque aquam illud eſſe teſtatus eſt, cui vitrioli olei nomen inditum eſt. à quà ſententia, ni fallor,minime ſeceſſit Minder. apud quem prædictos ſapores vitrioli oleum ſortitum, hiſce verbis cap. 9. lib. de chalcantho expoſitum inuenitur. Duo ſunt quæ olei vitrioli vſum in pulmonis, ac pectoris vitijs diſſuadent. Primum eſt acrimonia his locis infenſa; Secundum eſt acetoſitas ijſdem partibus inimica. & confirmauit cap. 10. lib. eiuſdem dum ſcribebat:quid quæſo eſt quod potentius putrediñẽ corrigat quam oleum vitrioli? quod non vna, ſed diuerſis qualitatibus eidem reſiſtit, aciditate nimirum, ſalſedine, acrimonia, aperiendi,ac penetrationis virtute. aciditate, namq. ſuam bilem domat, ac reprimit.

mit. acrimonia incidit, terget, attenuat. ſic ille. Ipſe vero ita ſenſio, vt vitrioli oleo acidus ſapor inſit acri copulatus. hic vero priore multo obſcurior ſit. ſed ſtatim iſtud emergit dubium. acidus ſapor frigidæ temperiei eſt indicium, quem vitrioli oleum cum nactum ſit acri euidentiorem, rationem exhibet, illud à prædominio frigidum, non calidum eſſe. quibus pugnantia paulo ante decreuimus. Argumenti huius hæc eſt profligatio; nouiſſe expedit, abſurdum non eſſe, quin imo rebus ipſis conſentaneum, nonnulla reperiri, quæ acido ſapore prædita calida etiam ſint. hoc demonſtrauit Auic.lib.2.t.1. cap.3.quo loco cum explanaſſet, quam temperiem vnuſquiſque ſapor conſequatur: errorem interdum hac in re contingere ſubiecit; adeo vt reperiri queat mixtum frigidæ temperiei, cuius ſapor caliditatem indicet: vti è conuerſo, aliud reperiri, cuius temperies calida ſit, & nihilominus eo ſapore præditum, qui frigiditatem indicet. quamquam hoc rarius contingat: vnde concludit, vt plurimum euenire, vt ea quæ acida ſunt frigida ſint. contrarium vero, licet rarius, contingere etiam. rationem attulit Auer. 5. coll. cum de ſaporibus loquitur quo in loco qui-

dam

dam sapores sunt, inquit ille, qui non significant perfectam significationem super natura rei: & hoc potest esse in vna medicina composita ex pluribus partibus, quarũ quædam sunt saporabiles, quædam insaporabiles. proptereaq. non est necesse, vt vnumquodque mixtum sit saporitum, vt probatum est in naturali philosophia. Etsi homo vellet iudicare totalitatem medicinæ, non posset iudicare per saporem super ipsam totam: sic videmus multa ex gemmis quæ sunt insipida, & tamen calida. exarare nempe voluit Auer. eo quod non omnibus mixti partibus sapor inditus est eorum nonnulla reperiri de quorum temperie ex sapore iudicium ferri nequit, eam ob causã, quoniam, exẽpli gratia insipida cũ sint calida etiam sunt, quæ eadẽ ratio aptari potest cæteris saporibus: adeo vt nonnulla extent interdum, quæ acido sapore prædita calida etiam sunt. quod ipsum affirmandum esse de chalcanthino oleo nos docuit Merc. cit. cap. 20. cum perhibuit. mirum non est quo modo in chalcanthi oleo, & sulphuris sit maxima illa aciditas, cum tamen constet hæc corpora vrere, adeò calida sunt. puto ego acorem in sulphure, & chalcantho innatum esse; sed, vt dicebam, non

perci-

percipitur huiuſmodi acor, niſi quando per ignem ſeparatæ ſunt partes terreſtres, à ſucculentis; quo tempore acor ille, cum ſit copulatus materiæ acri? quamquam non ſit multus, appareat tamen multis. Exemplum: ſi aceto addatur piper, proculdubio aciditas maior eſt, non alia ratione, niſi quia acrimonia illa piperis magis prodit, & magis manifeſtat aciditatem, hactenus ille. his adde acri ſapore non omnino deſtitutum oleum chalcanthinum, qui, quamuis acido obſcurior ſit, nihilominus calidarum partium admixtionem arguit, & ex his calorem effectus ipſi adeò validum, & multum demonſtrant, vt cæteras facultates efficacia longe magis antecellat. Vnde fit vt cum acido acriq. ſapore calefaciendi potentiam obtineat, & hæc omnes ſuperet.

An chalcanthum, & illius oleum ſint venena. Cap. VII.

CHalcanthum iure merito inter venena collocandum, non ignobilis ratio ex Gal. deducitur, quando 13. meth. cap. 20. corruptrice facultate præditum eſſe teſtatus eſt, in hunc modum ſcribens; Neque abſo-

lutè,

lutè, si astringere incipientem phlegmonem est opus, quodlibet adstringens in ijs, quæ deuoranda sunt, adhibemus, sed ea, quibus nulla corruptrix admixta vis est. nam chalcanthus inter præcipua astringit, sicut etiam mysi, & sory, & chalcitis, & dyphringes, & æs vstum, & squama æris, & flos. Verum hæc medicamenta deuorata noxia. quo circa sthomaticis ea admiscere tutum non est; defluit namq. ex his aliquid ad ventriculum hactenus ille. Hanc noxiam chalcanthi facultatem exactè contemplati illo posteriores medici, apertis verbis inter venena locum dedere illi. In quam classem venit Arnald. Villanou.& Antonius Guain.eorum libris de venenis, quo loco de vitriolo edisserunt; & Ponzet. lib.2. de venenis cap. & t.4. quibus in locis veneficam illius vim declarant, effectus & medelam. & confirmat hanc opinionem Forest. lib.3. obseruat. cap.40. vbi propria, & Amati Lusitani obseruatione eorum, qui perierunt, vel ingentem ex chalcantho accepere noxam, veneficam illius vim demonstrat. Cui non dissimili facultate pollere vitrioli oleum, deprehenditur ex Schenkio dum lib. 7. obseru. 218. exitialem illi facultatem inesse memorat, illudq. inter venena

repo-

reponit. Et famulantur quæ in hunc modum perhibuit Card. lib. 1. de venenis cap. 19. venenum calidum percipitur plerumq. sapore acri, vt si sit euphorbium, & siliqua inda rubra, antequam maturescat, & chalcanthi oleum, & pleraq. ex his. quinimo eodem cap. cum subiecit venena omnia elaborata igne calida fieri, & metallica in naturam ignis abire, intelligitur chalcanti oleum ipso atramento sutorio violentius reddi, & ex consequenti illo validius esse venenum. castiganda ergo illorum opinio est, qui à chalcantho veneficam facultatem adimunt, leuibus rationibus, vt opinor, suasi.

Sed his prætermissis, subcrescit dubium, an chalcantum illiusq. oleum excessu primarum qualitatum exitiale sit, an potius (vt medici loquuntur) tota substantia: non ignoro apud illos magna altercatione quæri, an cuncta venena totius substantiæ dissidio venefica sint, an potius qualitatum excessu: in qua decernenda, illorum arrisit magis opinio, quorum sententia est, à proprietate, & tota substantia venefica esse, & qualitatum exuperantiam illorum vim acuere, non ipsa sola veneficam facultatem constituere. Nam & si Auic. f. 6. 4. t. 1. cap. 2. venenorum spe-

cies distinxit in ea, quæ efficiunt (ita ille loquitur) operationem suam cum qualitate, quæ est in ipsis, & efficientia cum forma sua, & tota substantia: nihilominus Gentilis loci huius interpres, arbitratus est Auic. in ampliore significatione de venenis locutum, prout includit omne quod potest interitum afferre, cuiusmodi est, exempli gratia, aqua frigida, vinum meracum, & huic similia, cum proprie venena tota substantia agant, & si manifestas qualitates habeant adiunctas. suadet hoc ratio. Etenim venena alimentis contraria sunt: quod enim mutatur à corpore, & in illud conuertitur alimentum est, quodque à corpore nullo modo mutatur, & ipsum mutat venenum est, quemadmodum latè testatus est Auic. f. 2. 1. sum. 1. doct. 2. cap. 15. cæterum alimenta nobiscum tota substantia conueniunt, & alito tota substantia simillima sunt, vt ex Auerr. colligitur 5. coll. cap. 24. ergo venena tota substantia aduersantur, & perniciem afferunt. docet hoc etiam curandi ratio. siquidem omni veneno sua est anthidotus: quodq. magis est anthidotus vna cuiusmodi est, exempli gratia, theriaca venenis cunctis aduersatur, quod non nisi totius substantiæ dissidio continge-

re po·

re poteſt. vnde, quia venenis aduerſantur, quæ tota ſubſtantia agunt,& ipſam tota ſubſtantia agere, argumento eſt. Aſtipulatur alia ratio, qua obſeruamus proprietate hac, & totius ſubſtantiæ agendi potentia nonnunquam ſpoliari venena, integra remanente actione, quæ pendet à primis qualitatibus. ſic perſicam arborem obſeruamus apud Perſas noxiam eſſe, & venenatam; in Aegyptum tranſlatam æſculentã fieri, quemadmodum teſtati ſunt Plin. lib. 15. cap. 13. Dioſc. lib. 1. cap. penultimo, & Gal. lib. 4. de alimentorum facult. cap. 36. pari quoq. ratione ſcorpiones, vti memorat Ariſt. lib. 8. hiſt. anim. cap. 29. in pharo; lociſq. nonnullis minime lædunt, in Scytia multi & magni, & nocui ſunt. quibus ex omnibus argumentum efficitur, illæſis facultatibus, quæ pendent à qualitatibus primis, ſola agendi potentia, quæ à tota ſubſtantia proficiſcitur ſpoliatis venenis, veneficam facultatẽ exuere. & ideo apparet non niſi tota ſubſtantia exitialia eſſe. Itaq. Auic. lib. 2. t. 1. cap. 4. venenum, ait, eſt medicina quæ corrumpit complexionem non cum contrarietate tantum; ſed cum proprietate quæ eſt in ipſo. & lib. de viribus cordis t. 2. cap. 1. in fine, medicina, inquit,

3.a ra[illegible] exemplum +2 exemplum alterum confirma[illegible] alia

quæ propriè appellatur venenum, eſt illa, quæ corrumpit complexionem ſpiritus per contrarietatem ſubſtantiæ ſpeciei ſuæ, ad ſubſtantias, & ſpeciem ſpiritus. Non dubito quin hoc ſenſerit Halliab. lib. 2. theor. c. 24. cum eorum, quæ comeduntur nonnulla reperiri dixit, quæ læthifera ſunt medicamina, quæq. corpus immutant, & ſuperant, neque corpus immutat illa, illiq. totalitate ſubſtantiæ contraria exiſtunt. Guainer. ergo lib. de venenis cap. 1. noſtram confirmando ſententiam, ijs, quæ poſſent ex Auic. obijci, in hunc modum reſpondet. Si Auic. & plurimi auctores de venenis tractantes dixerũt, opiũ, & euphorbium, & plurima alia venena operari à qualitate manifeſta. Sciendum quod Auic. & alij ſic ponentes, conſiderauerunt venenum quantum ad ſpecificam formam, qua vna ſpecies differt ab alia. & ſecundum hanc conſiderationem dixerunt, quod venenorum quoddam operatur, non quod calidum, aut frigidum: ſed quod tale, habens ſcilicet virtutẽ humanæ vitæ, & ſanitati contrariam. Aliud eſt, quod etſi à virtute, ſeu à proprietate agat contra hoc etiam agit, quod frigidum, aut calidum, &c. vt opium Euphorbium, & ſimilia. Et propter hoc orta eſt

ta eſt talis venenorum diſtinctio; hoc eſt venenorum quoddam operatur à qualitate manifeſta, & quoddam ab occulta: cum qua tamen ſtat, vt patet, quod omne venenum agat à proprietate. Et latè eidem dubio reſpōdet Mercur.lib.1.de venenis cap.8. apud quem ſcriptum reperitur, quod porrò dicebatur ex Auic. venena aliqua operari qualitate, aliqua proprietate, id ſano modo intelligendum eſt: ſiquidem hoc perpetuum debet eſſe fundamentum, omnia venena operari per proprietatem hanc, & formam ſpecificam: veruntamen interdum contingere, vt hæc forma vtatur qualitatibus euidentibus tanquam organis: interdum vero illis non vtatur, aut ſaltem obſcuro modo, & illud venenum eſſe hoc vnó exemplo liceat intelligere. quia ſi ſolæ qualitates nimirum caliditas, aut frigiditas poſſent abſque proprietate ſpecifica naturam euertere, proculdubio id efficerent corpora calidiſſima, & frigidiſſima. Vnde cum aqua ſit primum frigidorum: cum piper ſit corpus calidiſſimum, neceſſarium eſſet, vt interimerent tanquam venena; ſed cum hoc minime faciant proculdubio exiſtimandum eſt, huiuſmodi qualitates non poſſe ſolas venenum facere: ſed ne-

ceſſarium eſt, vt ſequantur alteram formam, & proprietatem. Id quod intelligere voluit Auer. lib. de theriaca, loquens de venenis calidis, & frigidis (quod etiam ponderatum fuit à Gentile loco antea deducto) dixit, hæc interimere cum frigiditate, & caliditate mirabili, quaſi non ſola caliditas, aut frigiditas; ſed mirabilis caliditas, ideſt iuncta admirabili virtuti, hoc efficiat. Ita vt conſtitutum eſſe debeat, huiuſmodi naturam, naturæ noſtræ inimicam, eſſe vim ſuperiorem ipſis elementis. ſic ille. Decreuere ergo Mercur. & Guainer. inter cæteros, venena tota ſubſtantia agere. qui ijdem auctores cum reponant chalcanthum inter venena, vt prior indicauit citato lib. 1. de venenis cap. 13. & Guainer. præallegato lib. de venenis, quo capite de ære viride, & ſpeciebus atramenti ediſſerit, fateri igitur opus eſt, voluiſſe illos chalcanthum tota ſubſtantia veneficum eſſe. quod ipſum diſertis verbis promulgauit Fernel. lib. 2. de abditis rer. cauſ. cap. 15. qui cum tradidiſſet, inter cætera metallica, atramentum ſutorium venenum eſſe, adiecit. inſuper. hæc putant nonnulli ſola qualitatum exuperantia, priora quidem cauſtica, vel ſeptica, ideſt vrente, vel putrefaciente vi, po-

ſteriora

ſteriora vero aſtringente, & præfocante nobis infenſa. proinde non ſimpliciter venena, ſed venenata medicamenta appellari. At quanquã manifeſtis omnia qualitatibus obſunt, totius tamen ſubſtantiæ diſſidio nonnihil etiam veneni reconditum habeant. hucuſque Fernel. Liquet ergo venenum eſſe chalcanthum, illudq. tota ſubſtantia infenſum eſſe. quo cum violentius exiſtat illius oleum, ipſum inter venena collocandum aſſeuerare eſt. conclusio corollarium

Admixtione aquarum refrigerantium, vel cæterorum liquorum an chalcanthini olei vis refringatur. Cap. VIII.

PRopoſita quæſtio iſthæc à doctiſſimis viris in hunc modum definitur. Oleum chalcanthi nõ niſi guſtu refringi poſſe aqua, vel ſimplicium decoctis, ſuccis, ſyrupiſq. admixtis. Non enim proportio eſt inter aquã, & hoc acetum minerale (ita appellant liquorem quem oleum vitrioli nomenclantur alij) vt fiat actio, & paſſio, & reactio, quæ requiritur ad perfectam mixtionem, & vnionem: determinatio ra.? cui respondetur

quo fit, vt oleum vitrioli agere non poſsit in aquam, aliumuè liquorem, & illum in ſuam naturam vertere: & è contrario aqua ipſa vitrioli oleum vnquam vertere in aqueam humiditatem. Manebunt igitur ſimul ſine mutua paſsione, & actione, cum ſint inuicem impatibilia. Quibus indicatur in caſſum aquis, ſuccis, ſyrupis, alijſque his ſimilibus chalcanthinum oleum admiſceri, vt malefica & noxia vis illius refringatur, atque hebetetur. Cæterùm, ſi libeat inquirere quid faciant reliqui medicinæ auctores famæ non contemnendæ, inuenire eſt minime reprobaſſe aquarum hanc admixtionem, atque prædictorum liquorum oleum chalcãthinum propinaturi vulgari ratione ducti, vt opinor, vim illius aliqua ex parte refringi, adeò vt minus noxium reddatur. Hinc Amat. Luſit. enar. 74. ad lib. 5. Dioſc. cum cordialibus aquis exhibet illud. & centur. 2. curat. 27. bibendum porrigit illud cum aqua acetoſæ, & borraginis. Capiuac. lib. 2. meth. curandor. corporis affect. cap. 6. ſanguinem expuentibus dat cum aqua plãtaginis, & cap. 7. lib. eiuſdem cum roſacea aqua propinat tabidis, & plantaginis ſucco, modico ſaccaro addito, ad penetrationem augendam. Cæ-

ſalp.

ſalp. lib. 1. de metallicis cap. 22. morbos peſtilentes aqua hauſta cum eius gutta corrigi credidit. Hyer. Merc. lib. 2. de cognoſcen. & curan. humani corp. affect. cap. 3. in ſputo ſanguinis cum plantaginis aqua, ſiue roſacea propinandum laudat. Heur. lib. de feb. c. 19. in peſtilentium febrium curatione tum cum ſyrupis, tum vero cum refrigerantibus aquis illud hauriendum porrigit. In immenſum creſceret oratio, commemorando omnes quos, conſulto omittens, rationes perpendendas aſſumo: quibus nullo pacto factum erit ſatis, ni illa diluta fuerit quæſtio, quæ continet, an venenorum actio aliqua ex parte refringi poſsit. Planè, ſi à medicamentis ad venena ratio verti poteſt, omni procul dubio iſtud contingere affirmandum eſt. Hoc ſibi voluit Meſu. theor. 2. cano. 3. cum perhibuit. medicamenti purgantis temperiem immodice calidam, vel frigidam, vel humidam, vel ſiccam, vel harum coniugatione aliqua noxiam, contrario aliquo valentiori, imbecilliore, æquali pro ſcopis, & indicationibus varijs permutamus. & Gal. 3. de temper. cap. 3. cum declaraſſet ex medicamentis, quæ intus ſumuntur, nonnulla eſſe, quæ niſi fuerint admixta ijs, quæ vim retundunt,

lædere,

lædere, nihil miri esse, subiecit, medicamen aliquod adeò calidum esse potestate, vt, si multum sumatur; & in vacuum; corpus erodat prorsus, vratq. si vero exiguum assumatur, cum ijs quæ vehementiam retundunt, non modo nihil incommodi afferre, verum etiam calefaciendo iuuare. quo indicasse visus est eorum medicaminum quibus facultas inest erodendi, retundi, refringiq. posse. Sed, ne à venenis discedamus, quorum facultatem agendiq. robur retundi, hæbetariq. posse alexipharmaca declarant, dum venenatis morbis medentur, quorum vim manifesta, & occulta qualitate refringunt, & domant. Dinus ergo Florent. lib. 2. t. 1. cap. 4. quo loco Auic. ex bezaarticis medicamentis nocumentum venenorum expelli, dixit; ille & manifesta, & occulta qualitate hoc fieri, interpretatus est, quibus bezaartica venenis contrariantur. & clarius patet ex ijs, quæ ipse Auic. t. 3. cantices num. 51. in hunc modum scripsit. bezaar confert cum superat, aut ratione qualitatis conuertentis, & immutantis, aut ex sui propria natura. cuius libri, & loci interpres Auer. nec non 5. coll. cap. 23. apertis verbis testatus est, hæc medicamina venenis aduersari, aut ratione

prima-

primarum qualitatum, vt calidi, frigidi, & his similium; vel specifica proprietate, quam totam substantiam appellant. In quam sententiam ante omnes locutus est Gal. 5. de simpl. med. cap. 18. (6a) vbi late disputat alexipharmaca aduersus venena adiumentum afferre, aut alterando vna, vel duarum qualitatum coniugatione, vel tota substantia; quibus apparet venenorum actionem refringi, atque corrigi posse.

Hæc, quæ hucusq. diximus nemo profectò sane mentis inficiabitur. Verum contendet (obiectio) hac potestate refrigerantes aquas, aliosq. liquores haud præditos, vt chalcanthino oleo admixti, illius vim refringant. Cæterum è (resp.o) conuerso cogitanti mihi Gal. 2. acut. 12. dum interpretatur illa verba, quibus decernit Hip. cum quis medicamentum ebiberit protinus ptisanam sorbendam, memoriæ mandasse, illud commodi præstare ptisanam vt qualitatem medicamenti tum contemperet, tum permutet, posse æquali ratione refrigerantes aquas, succos, & cætera huic similia chalcanthini olei qualitates, tum contemperare, tum vero permutare, si admixta simul assumantur, quod est vim illius refringi ac retundi posse. Sed in promptu est obiectio: (insta)

vegetabilium, ac mineralium parem non esse rationem. Cui obuiam itur primo in medicamentorum purgantium ordine non nulla existere, quæ vegetabilia nõ sunt, & nihilominus vniuerse pronunciauit Gal. ptisanã medicamentorũ vim permutare, atque contemperare. Secunda responsio est ijs, quæ mineralia sunt, deuoratis pari remediorum genere succurri: quibus negatum est mineralium facultates non refringi. sic Diosc. lib. 5. cap. 70. potato argento viuo remedio esse, litteris scriptum reliquit, vinum cum absinthio, aut apij decoctum. & cap. 29. lib. 6. quo tempore calx, sandaracha, aut auri pigmentum deuoratum fuerit, cuncta præbenda esse præcepit, quæ suo admixtu illorum acrimoniam hebetent, ac solutam & facilem lubricamq. aluum reddant. quæ, protinus describens medicamina, cuiusmodi est, adiecit, ibisci aut maluæ succus. dandum, pergit, decoctum seminis lini, vel semen tragi herbæ, vel orizæ lacq. cum aqua mulsa copiosum, iura pinguia, & boni succi. pari argumento Petrus Apponen. lib. de venenis cap. 8. cui propinata fuerit potanda æris scoria, succurri tradidit, cum alijs remedijs, tum vero in potu exhibito succo menthæ: & bezoar il-

lius

lius esse, dixit acori succus 3.i i. pondere cum vino austus. Et cap.14. lib. eiusdem certissę bezoar esse, memoriæ mandauit vini albi prope ebrietatem austus. Et ipsi chalcantho deuorato, nonne pari remediorum genere opem ferimus? Ponzettus loco antea deducto curationem traditurus, quæ chalcantho debetur, çum deuoratum fuerit, ratione siccitatis, dixit ille, debent dari humida permixta solutiuis, & in quantum acuta pinguia. & licet (sic deinceps adiecit) omnibus speciebus conferat Mirrha cum puluere cancrorum fluuialium,& vino potenti:dum tamen percipiuntur punctiones, debent continuè dari, lac, butyrum, & brodium, & si quidam dent in potu sanguinem fasiani. Hactenus ille. Quibus ex omnibus docemur mineralia, quæq. ex mineralibus conflantur, succis aquis & his similibus refringi,obtundi, atque hebetari: alias hæc quæ hucusq. attulimus remedia morbis, quæ ex illis pendent iuuamen non afferrent. quod ipsum chalcanthino oleo contingere aquis succis, & classis eiusdem alijs admixto, quibus refrigendi illius efficaciam vis inest, affirmandum est. Etsi emergat difficultas, refrigerantia calefaciendi vim dumtaxat reprimere, quæ chal-

canthi-

canthino oleo ineſt maxima, non tamen, quæ à forma ſpecifica nocumenta eueniunt, caſtigare: & proinde hæc, quæ retulimus, minime videntur ſatis ad refringendam olei chalcanthini malitiam. Planè ſi cui perſuaſum eſt omnia nocumenta corrigi olei chalcanthini, adeo vt ex admixtione corrigentium reddatur, innoxium longè lateq. ab experientia aberrat. Verum aliqua ex parte eius malitiam retundi, non eſt omnino negandum. & quanquam ea, quibus admiſcetur caliditatem ſolummodo corrigant, non autem nocumenta quæ pendent à forma ſpecifica. nihilominus ſciendum eſt vti ex Auer. notauit Mercur. lib. 2. de compoſ. med. c. 11. formas ſpecificas conſequi proprias temperaturas, & propterea vbi retunduntur temperaturæ propriæ, diminuitur etiam facultas formæ ſpecificæ. Vnde compertum fit quamuis calefaciendi potentia chalcanthini olei caſtigetur, aliqua ex parte agendi vis reprimitur, quæ pendet à tota ſubſtantia.

Obijcienti, inter oleum vitrioli, & corrigentia, nullam conſequi actionem, & proinde neque refringi illius malitiam, dixerim, hanc diſtinguendam eſſe rationem: poteſt enim ſortiri ſenſum vt cōtingat actio ijs admixtis,

ante-

antequam assumantur: vel ijs admixtis, & deuoratis: quo posteriori modo vt contingit actio: ita nunquam priori. non enim inter medicamenta consequitur actio, nisi illorum qualitates ad actum redactæ fuerint, cuius actuationis opifex natiuus calor solus existit; & ideo iam ingestis mutua fit actio, non autẽ antequam illa assumantur. Quo circa non facile admiserim nouæ formæ inductionem, quam ex fœrmentatione resultare profitentur non pauci. Medico enim philosopho indigna vox est, vt asseueret, ex non vera admixtione, mixti formam resultare, & in aggregato per accidens, (vti contingit, dum medicamenta conficiuntur) aliam resultare formam ab ea, quam suapte natura habent mixta, ex quibus conflatur aggregatum. Itaq; Auer. lib. 5. coll. cap. postremo, eorum opinionem redarguit, quorum sententia est, theriacæ operationes prodire ex toto composito, eaque de caussa illi nihil addendum esse. Hanc enim ex eo reijcit opinionem, quia multa arbitratus est illi adijci posse medicamina, quorum vnumquodq. suam efficiat operationem. Igitur si medicamentorum vnumquodq. operationem suam efficit, agendi facultas ascribenda non est toto composito,

posito, & formæ illius per fermentationem acquisitæ. Sed hoc clarius expressit Halliab. lib. 10. pract. cap. 5. vbi explanatis iam commodis theriacæ, quibusque prosit morbis, ex eo insuper, dixit, multa iuuamina contingere: quoniam ex medicamentis multis conflatur. Innuere quippe voluit, ipsis medicaminibus, quæ theriacæ compositionem ingrediuntur ascribendam agendi facultatē, non autem opinatæ formæ mixti totius. quibus luculenter astipulatur Gal. lib. 1. de anthidotis cap. 5. vbi compositorum medicaminum virtutem ex simplicium vigore consurgere, dixit. Ex simplicium quippe vigore, quandoquidem ea sunt, quæ operantur in composito, non autem forma quam ex illo resultare prædicant. Ratum sit ergò, nouam formam ex fermentatione nullo pacto sortiri medicamenta. & quam efficiunt inter se actionem, & reactionem non suscitari nisi reactis ad actum qualitatibus à calore natiuo, & ideo optima ratione concludi, non, nisi deuorato chalcanthino oleo, corrigentibus admixto, consequi actionem, & refractionem. Non quidem adeò ingentem, vt tutius vsurpetur illud, quam saccarum, & manna: quemadmodum promulgauit Minder. c. 10.

lib. ci-

lib. citati. sed vt aliqua ex parte minus violentum sit, quam si assumatur solum.

Oleum chalcanthinum, an medicamentorum omnium vires intendat. Cap. IX.

APerte medicamentorum omnium vires augere, ac intendere chalcāthi oleum promulgauit Minder. cap. 10. sui libri de chalcantho, cum protulit, oleum chalcanthi omnium medicamentorum vires, ac facultates intendit, vigorat, & expēdit. & rursus. Oleum vitrioli, inquit, est omnium medicamentorum stimulus, acetositatem habens, & acredinem penetratiuam, aliorum medicamentorum vires ad loca destinata deducentem, eorundemq. energias intendentem, vigorantem, ac deniq. proficientem, quæ alioquin mira fatuitate inania deprehenderentur. Sed de chalcantho ipso eodem cap. 9. deprædicantur dotes, in quo dicitur, cum vitriolum omnium aliorum remediorum auxilia non modo intendat, augeat, vigoret, ac perficiat, quæ huius beneficio destituta vanescunt, aut languent, aut segnia torpescunt. Quo ex Minder. deprænditur duplicem sortitum præ-

cipuam facultatem oleum chalcanthinum, medicamentorum nempe facultates augere. intendere: nec non qua ſumma pollet penetrandi potentia remedia ad loca deſtinata perducere. atque hæ duæ ſeorſum perpendendæ veniunt dubitationes.

Medicamentorum facultates omnium hoc oleo non intendi, illa manifeſta docet ratio, qua communiter decernunt medici, ſimillibus augeri medicaminum vires: quod ſentit Auic. lib. 5. cap. 1. cum exarauit ſtipticitatem medicamenti corroborari alio medicamento, facultate eadem prædito, ſicuti & quod calefacit medicamen alio calefaciẽte acui. Ratio eſt etenim quemadmodum medicamenti facultas frangitur aduerſario, vti Halliab. teſtatus eſt lib. 10. pratt. cap. 1. pari ratione eiuſdem facultas augetur, atque intenditur à ſimili. Sed eſt clarius locutus Auuer. lib. 5. coll. cap. antepenultimo. cum perhibuit, ſi quando volumus fortificare, non fiet hoc niſi vna via, hoc eſt, vt miſceatur cum ea medicina ſuæ ſpeciei, & ſit fortior ea. qua diſſertatione decreuit Auer. medicamentorũ vires ſimilimis, eiuſdemq. facultatis præditis augeri, ac intendi. Quamobrem quia chalcanthi oleum ſimillimam non ſortitur poten-

potentiam, qua cætera medicamenta, non est cur vires illorum intendere queat, cum potius facultates eorum, quibus est contrarium, remittat, retundatq. Verum vti ea quæ diximus manifestò elucent in medicamentorum facultatibus primi ordinis, sic euidentius apparent in secundis, tertijs, & quartis eorundẽ facultatibus. Nam quis dixerit exempli gratia medicamentorum vires, quæ lac gignunt, & exiccant intendi chalcanthino oleo, quemadmodum & eorum quæ vrinam citent, & supprimunt, & illorum omnium denique quorum à tota substantia agendi facultas pendet? Sed hæc condonanda veniunt Minder. qui orantis more chalcanthini olei vires extulit, philosophicis dissimulatis rationibus.

An verò (quod erat secundum dubium) oleum vitrioli, penetrando, cæterorum medicaminum vires introducat: aceti exemplo à viris doctissimis hoc explanatum inuenio; cui etsi facultas insit penetrandi, nihilominus ijdem prodidere in affectibus frigidis requiri penetratiuum calidũ, in calidis verò frigidum, quale est acetũ, quippe qui frigidum illud esse decreuerant. Verum hanc rationem ab aceto petitam subdistinguendam

censco, & seorsum querendum, vtrum acetum cum medicaminibus deuoratum, tam in calidis, quam frigidis morborum caussis debellandis conducat ad penetrationem: & an illud ipsum exterius appositum in morbis, à causa calida, vel frigida oriundis, alijs remedijs admixtum augeat penetrationem. Planè si consulamus, quæ passim ab auctoribus pronunciantur, reperiemus, tam in morbis à caussa calida, quam frigida originem ducentibus, acetum alijs remedijs admixtum, & deuoratum penetradi vim intendere. Testem afferre libeat Mesuem qui, cum pronunciasset syrupum acetatum simplicem (quo loco de illo illi sermo est) materias calidas, nec non crassas, & glutinosas ad expulsionem apparare, subiecit etiam, partibus remotis essentiæ suæ tenuitate alia medicamēta conuehere. quod de aceto accipiendum esse notauit Costeus loci eiusdem Interpres, adeò vt illud remedijs, tum pro crassa, & glutinosa materia, quibus calefacientia conducunt, tum etiam pro calida, quibus refrigerantia opem afferunt, admixtum penetrationem intendat, & acuat. Confirmant hanc opinionem quæ in hunc modum f.1.3.t.1.c.19. memoriæ mandauit Auic. dico, quod acetum

est

est commune omnibus materijs. Eius enim infrigidatio possibile est, vt leui causa frangatur: amplius remanet profundatio eius cum medicinis, & ipsius incisio. Hoc quidem est cum administratur in medicinis frigidis. In maturatione autem materierum calidarum non eligatur super ipsum. Quo loco Auic. Interpretes, quemadmodum & ij, qui Mesues locum citatum explanant, admonent, medicaminibus tam calidis, quam frigidis acetum admixtum, penetrationem augere, & ad loca destinata illa conuehere.

At, si contingat acetum exterius apponendum, alijs remedijs admixtum tum calidis, tum vero huic oppositis; augere penetrationem, & ex arte esse illis illud admiscere, compertum est. In refrigerantium ordine nulla dubitatio est. quando rodinis repellentibus dictis medicaminibus, passim adijcitur ad illorum augendam penetrationem. Calidis verò medicaminibus, ex arte illud admisceri, ex eo liquet, quod curantes medici capitis dolores à frigida caussa oriundos aceti vsum non aborrent: immo illud non rarò adijcitur. Hinc Auic. f.1.3. t.2. cap.12. in capitis dolore ex intemperie frigida epithema conficit ex cinere & aceto & cap.13.

 t. ci-

t. citati pharmaca multa describit calefaciē-tia in capitis dolore à causa frigida, quibus admiscet acetum. Et hoc ipsum videre est apud Mes. sum. 3. cap. 3. t. de ægritudinibus capitis, vbi calefacientibus medicaminibus acetum admiscet. Et illud tum alijs nominibus præfati auctores addunt, tum verò ad augendam penetrationem. Nam acetum suapte natura obest potius, cum caput dolet, quam iuuamen afferat. quod sibi voluit Gal. lib. 2. catatop. cum exarauit, maxime contrarium inflammationibus acetum esse, & capitis doloribus vehemētioribus: vtpote quod neque mitigandi, neque leniendi vim aliquā in se complectatur. Igitur eo consilio illud admisceri credere reliquum est, scilicet vt cætera medicamina in profundū ducat, acuatq. penetrationem. Quare, cum medici acetum admiscent etiam calefacientibus medicamē-tis ad capitis dolorem, à frigida caussa oriundum curandum, hoc ea de causa effici consensiendum est, vt penetrandi facultatem adaugeat. Et, quamuis Gal. ipse loco præallegato lib. 2. de compos. med. sec. loc. ita curationem dirigendam præceperit, vt, cum frigefaciendum sit, acetum admiscendum veniat, cum verò calefaciundum, euphor-

bium;

bium : hæc illius sententia ita interpretanda est, vt in capitis dolore, cum optamus medicamentis augeri penetrationem, acetum solum veniat admiscendum ; vbi verò & penetrandi vim, & calefaciendi potentiam, euphorbium. vtpote quod munus vtrumque egregiè exercere queat, quod in calefaciendi potentia non tam manifestè operatur acetum. Sed de aceto plus satis. Redeamus iam ad chalcanthinum oleum, de quo dum proponitur quæstio, an medicamentis admixtum, & deuoratum, illa acuat penetrando ; hæc facile tollitur, si memores erimus, nunquam illud salubriter propinari ad internos morbos tollendos. proinde, neque etiam quærendam ex illo penetrandi facultatem. Dum vero fit quæstio an medicamentis exterius apponendis chalcanthinum oleum admixtum illa vigoret, & introducat penetrando omnia. facile hæc quoque profligatur quæstio, si immemores non erimus morbis quam multis aduersari illud, & propterea ex illo petendam non esse penetrandi potentiam. Enimuero quia validum adeò est medicamentum, quibus morbis aduersatur sensibile adeò afferret detrimentum, vt expetita penetrandi facultas obscuraretur. Secun-

do intelligitur ex arte non esse ab oleo chalcanthino expetere penetrandi facultatem; quandoquidem causticum cũ sit cutem densabit potius crustam inducendo, quam partem laxabit, adeo vt medicamentorum potentia acuatur. Et ex his deprӕhenditur oleum chalcanthinum admiscendum non esse, vt cӕterorum medicaminum vires introducat, acuatq. illa penetrando.

Oleum chalcanthinum, an propinandum sit febricitantibus. Cap. X.

Trita opinio est, & multorum sane vulgata sententia pestilentibus febribus chalcanthinum oleum mederi, illisq. iuuamen non contemnendum afferre. immo illuc deuenit dicendi libido, vt de illo protulerit Minder. cap. 9. lib. de chalcantho. inest oleo vitrioli plena facultas omnis generis febres curandi, & exterminandi. Sane innata multorum cupiditas cunctos antecellere, & cӕteris plus sapere, effecit, vt tanquam arcanum depredicauerint remedium, & spem etiam ingentem conceperint illud daturi. sed tractu temporis experientia, iudex eorum, quӕ rectè, vel improbè fiunt, indicauit, satis

infi-

infidam spem esse, quæ illi præbetur in medendis febribus. Etenim quid sibi vult illa admonitio, quam passim insinuant, per se solùm, & inmixtum nocuum, & forte venenatum esse? & addunt alij. magnum istud esse præsidium, &, nisi prudenter, & opportunè adhibeatur, sæpe perniciosum atque etiam exitiosum euadere. ista inquam admonitio nos dubios, seu potius certiores reddit; perniciem latitare in illo, & exitium. Cur obsecro infido præsidio salus committenda est, cum tot medicaminum medica suppellectilis diues sit? si illa medici prima cura est, vt tuto curet, iuuet, & nequicquam lædat, quomodo sancitum istud adimplebitur olei chalcanthini vsu, cuius sola administratio suspecta est? sed age, vires illius perpendamus vt iudicium afferre possimus quale adiumentum febricitantibus afferre quæat. Inest oleo chalcantino calefaciendi facultas, exiccandi, astringendiq. indita illi potentia est, quibus omnibus obest potius, quam prosit febri laborantibus. Vtq. à calefaciendi facultate exordiar. hæc in oleo chalcanthino illum gradum adepta est, vt, si conferamus cum ijs, quæ in pari gradu calefaciunt, comperimus, accendere non extirpare febrem.

Auic.

Auic. f. 3.3. t.vnico cap.7. castorei potu, & assæ fœtidæ febrem accendi arbitratus est, vt conuulsione detentis opem afferat: cæterum Auic. eodem auctore lib.2.t.2. cap.53. assa fœtida calida est in principio quarti gradus, & castoreum calidum est in fine tertij gradus vsque ad quartum cap. 126. t. citat. his non infimum calefaciendi gradum sortitum est oleum chalcanthinum, ergo pari passu febrem accendere valet. Et cõfirmat hanc opinionem Arnal. Villanon. lib. de simpl. cap. 7. vbi, facto cathalogo eorum medicaminum, quæ in quarto gradu calefacere arbitratus est (in quo collocauit etiam vitriolum; cui incalefaciendi potentia non cedit illius oleum) adiecit, istis medicamentis prouocari febres, nec non morbos ab intemperie simplici, vel cum materia admodum frigida curari. Vnde est (vt persuasum habeo ex hoc capite) non illud quod conducit moliri, qui oleum chalcanthi febricitantibus propinant, sed illud machinari, quod maxime obest.

Inest rursus chalcanthino oleo astringendi facultas. quo ex capite quantum obsit febricitantibus probari facile potest. illo prius sublato scrupulo, quem iniecit Minder. qui

suo

ſuo libro de chalcantho cap. 10. illud aſtringendi facultate ſpoliare operam dedit. Sed quam rectè ſenſiat, teſtem audire eſt Querc. dum libro ſuo peſtis alexycacus inſcripto c. 3. ijſdem viribus vitrioli ſpiritus pollere dixit, quæ de vitriolo tradidere veteres: quorum opinio fuit, aſtringendi vi præditum eſſe atramentum ſutorium, & ex conſequenti, illi pares obtinere facultates illius ſpiritus. & fert ſuffragium Mercur. lib. 2. de cur. hum. corp. 2°
affect. cap. 5. qui eo nomine expuentibus ſanguinem oleum vitrioli propinari dixit, quoniam Gal. ſentẽtia eſt, chalcanthum in aſtringentium nemero repoſitũ eſſe. quibus ſignificare voluit, ea de cauſſa oleum illius exhiberi, quia pares cum illo obtinet aſtringendi facultates. & enucleatius hoc declarauit Ma- 3°
nard. lib. 18. epiſt. 2. vbi apertis verbis aſtrictoriam facultatem oleo vitrioli inditam teſtatus eſt. Aſtipulatur idem Minder. cap. 9. 4°
citati libri dum inter cæteras cauſas, quæ olei vitrioli vſum diſſuadent in vitijs pectoris, ac pulmonum, illam reddit. quod aſtrictio illius enumeratas partes exaſperat. & rurſus eodem loco diarrhæas conceptis verbis aſtringere confeſſus eſt. cum quibus non ſtat, vt aſtringendi facultate ſpoliatum ſit.

Ex

Ex isto ergo capite formatur ratio, obesse febricitantibus chalcanthinum oleum. atque
5° hæc desumitur ex Gal. 1. acut. comm. 18. quo loco cum ptisanæ laudes recitasset ex Hipp. ille in hunc modum scribit. Non astringere autem quibusdam maxime bonum existit. nemo siquidem astringentibus vtitur cibis, nisi vel propter symptoma, quod animi deliquium inducat, vel propter immoderatum ventris profluuium: cogunt siquidem, constringuntq. corpora vi absque tum distributionis tum alimoniæ, tum eius quæ foras fit perspirationis conniuere faciunt: quas reclusas apertasque esse conducit. Qua oratione decreuit Gal. astringentia febricitantibus noxia, nisi ad occurrendum alicui symptomati ijs opus sit. Quam sententiam secutum
6° Auic. affirmare non dubitauerim, quando f. 1. 4. t. 2. cap. 7. perhibuit. cum tamen infrigidas de istis febribus, tunc non infrigides eam cum eo in quo sunt stipticitas, & exiccatio. Quæ ratio magis militat contra eos, qui oleum vitrioli frigidum faciunt astringens, & siccans. quamquam, & si calidum statuatur, eo quod suapte natura etiam astringit, ideo reijciendum est à putridarum febrium curatione. hisce enim febribus quæ

astrin-

aſtringunt aduerſantur omnino. Hoc ſibi vo-
luit Maſſaria Auic. citati loci interpres libro
ſuo de febribus cap. 13. apud quem ſcriptum
reperitur. velim vos memoriæ tenere, & ob-
ſeruare, vt, in curandis omnibus febribus
putridis, ab omni re aſtringente perpetuo
abſtineatis: vt quæ poſſint augere prohibi-
tam traſpirationem, & obſtructiones, cum
quibus febres putridæ nunquam poſſunt au-
ferri. hæc ille ſatis appoſitè memoriæ man-
dauit. quamuis præceptum iſtud ſeuere ni-
mis perſtrinxerit, cum voluit etiam acida reij-
cere à putridarum febrium curatione. quo in
errore verſatur etiam Leonard. Iacch. lib. de
acut. morb. curat. quo capite aſtringentia fe-
bricitantibus inimica eſſe diſputat alijq. nō-
nulli cum illo. Etenim tantum abeſt acida
aſtringere, vt potius incidant extenuent, &
diuidant Gal. auctore lib. 5. de ſimpl. cap. 26.
qua de cauſſa conducunt non noxia ſunt fe-
bricitantibus, vt appoſitæ confirmauit Ar-
genter. lib. de feb. quo loco de ratione nu-
triendi in febribus verba facit, & de qua agi-
tur propoſita ſibi quæſtione in hunc modum
reſpondet. ſi Gal. legamus 4. de ſimpl. &
penultimo ſcilicet vbi de acido ſapore agit,
inueniemus huiuſmodi saporē aperiendi in-
ciden-

cidendiq. facultatem habere: idq. ſine calore. propterea miror quo nam modo illi aſtringere dicant. quod ſi prædicta dicant non ſolo ſapore acido eſſe prædita, ſed etiam auſteritatem aliquam habere adiunctam, vt negari poteſt, quando mala granata pura repe-riuntur purè acida, tamen, ſi id etiam concedatur, tantum abeſt, vt obſit ea leuis adſtrictio, vt etiam plurimum proſit ad obſtructiones tollendas, vt Gal. eſt auctor lib. 5. de ſimpl. cap. 11. quoniam aſtrictoria ea vis roborat internos meatus, & propellit acidam aperientemq. facultatem: quod oſtendit etiã vſus. nam limones dicti tantam habent incidendi aperiendiq. vim, vt etiam calculos renum frangere dicantur, & ipſos renes obſtructos aperiendi. quare non oberit acidorum vſus in febribus præſertim calidis, quibus nõ obeſt acidorum frigiditas: nam, vbi craſsi viſcidiq. ſunt humores, requirimus aperientia, quæ vna etiam calefaciant: in bilioſis vero, & acutis febribus nihil commodius inuenias acidis. ſic ille. quæ de vegetabilium acidis ſuccis accipienda ſunt: ſiquidem mineralium alia cõditio eſt. namq. ipſi oleo chalcanthino vehemẽs adeò aſtringendi facultas copulata eſt, vt omnem aciditatis actionem obſcuret.

Verum

Verum redarguit Minder. hanc diſſertationem exemplo eorum, quæ licet aſtringāt, meatus tamen aperiunt. Rhabarbarum enim (ait ille) aperit & aſtringit, itemq. abſinthiū, quod eodem modo operatur, & acetum, quod potenter incidit, ac penetrat: ac interim quādoque vehementer aſtringit ac cohibet. pari ratione contrarios effectus parit oleum vitrioli in quo quia maior eſt aperiendi vis, ac deobſtruendi, quam ſit aſtringendi, ideo ex hoc capite nullo modo videtur reijciendum in febrium curatione. Iſtud argumentum vt diluatur, notandum eſt priore loco, rationi & medicorum teſtimonio non omnino conſentaneum, acetum aſtringere: qua de re audiamus Fernel. lib.4. meth. cap.3. dicentem. Acetum experimur & fluxiones repellere, & omnem ſanguinis è naribus eruptionem, atque dyſenteriam, tum vapore ſuſcitato, tum etiam fotu cohibere, ipſaſque emorrohidas, & immodicas vteri purgationes ſuffitu inſeſſuq. ſiſtere, omnemq. ſanguinis reiectionem potum vel per ſe vel admixta aqua promptiſſime cohibere. neque idcirco inter aſtringentia numerandum. Longe enim ab his natura diſtat; ſed vnius frigoris altè ſubeuntis beneficio fluxiones repellit,

ſiccita-

ſiccitate verò, quæ planè valida eſt, eas atque ſanguinis eruptiones ſiſtit ac cohibet. Hucusq. Fernel. quanquam illam, quam aceto donant auctores facultatem vndequaq. fluẽtem ſanguinem ſiſtere, non omnino recipiat
2° Paræus operum ſuorum lib. 10. cap. 13. cum potius, exemplo vulnerum, contrarium contingere affirmet. qua de re quicquid decernendum ſit, ſatis eſto, illud non aſtringere.
3° quæ Gal. opinio fuit lib. aduerſus Lycum cap. 4. vbi Lycum ipſum eo vſque ignarum demiratur, vt exiſtimauerit aſtringentem aceto ineſſe facultatem. Et, licet paſſim aſtringere aſſerant auctores, rationi huic reſpondet
4° Fallop. lib. de vulner. cap. 7. arrepta enim eo loci hac, de qua agitur, quæſtione diſputando, ſic ediſſerit. Nonne acetum incidit, aperitq. obſtructiones? quomodo ergo aſtringit? Dico, inquit ille, quod acetum non aſtringit per ſe, quia per ſe re vera aperit obſtructiones, ſed aſtringit per accidens, quatenus ſcilicet ſiccat exaſperatq. partibus autem exiccatis conſtringuntur: & hoc modo intelligatis quando reperietis apud Aetium, & apud alios auctores acetum aſtringere: intelligatis inquam ipſum id facere non per ſe ſed per accidens.

Nota-

Notabam ſecundo loco rhabarbaro aſtringendi quidem ineſſe facultatem : & hac de cauſſa ijs morbis, quibus nocumento eſt obſtructio, improbatum ab auctoribus è quorũ numero eſt Capiuac. qui lib. 3. metho. curan. morb. cap. 20. in hepatis obſtructione vſum illius reijecit, eò quod illam adaugeat, & vaſa hepatis magis obſtruantur. Etſi non ignoro perſuaſum multis ſecutis Meſuem lib. de ſimpl. cap. 4. maceratione ſegregari rhabarbari facultates, adeo vt aſtringens cum ſubſtantia ipſius remaneat: purgatrix vero deobſtruendiq. facultas cum eo, in quo maceratur, ſucco ſiue aqua. vnde factum eſt, vt in curandis febribus, de quibus præcipue eſt ſermo, vt infuſionem illius approbarunt nonnulli, ſic illud, in ſubſtantia (vt aiunt) datum reiecerunt. Hoc eſt ſecutus conſilium Rondel. lib. de feb. cap. de cauſo ſic perhibens. vulgus medicorum temere rheum, & myrabulanos vſurpat cum hæc biliofis morbis ſint aduerſiſſima niſi vi aſtrictoria, quam habent ſpolientur: vt ſi coquatur rhabarbarum in aqua endiuiæ, vel in eadem maceretur, & leuiter exprimatur, miſceaturq. alijs detergentibus, ac lenientibus; & ſic præparato non incommode licebit vti. Hæc ille. Non

tamen defuit Maſſar. lib. de feb. cap. 17. qui aduerſus eos diſputat quorum ſententia fuit, rhabarbarum exhibendum in tertiana exquiſita facta, vt aiunt, infuſione. eoſq. redarguit tum alijs rationibus, tum vero quia quoquo modo datum aſtringit. Perſpicuum fit ergo ſuſpectam in febribus rhabarbari aſtringendi facultatem: & ideo pari ratione oleum chalcanthi ſuſpectum eſſe magis, quod illo valentius aſtringit, neque aliquo artificio, dum propinatur, ea ſpoliari poteſt facultate.

Supereſt vt de abſinthio, quod eſt tertio loco notandum, verba faciamus. Cui & ſi aliqua inſit aſtringendi facultas, illudq. cum mellicrato & oximelite dare Gal. non dubitauerit ad tertianam exquiſitam, & notham curandam, primo ad Glauc. cap. 9. & 10. attamen à Gal. non inconſultò factum exiſtimandum eſt, Quoniam, licet aſtringentia aduerſentur febribus ab humoribus putreſcẽtibus oriundis, nihilominus ſymptomatis alicuius ratione illa præberi poſſunt, qua ratione fretus Gal. abſinthij vſum præſcripſit in febribus, ſcilicet ad ventriculi vitia corrigenda. quod ipſe clarè indicauit, cum de tertiana exquiſita verba faciebat, quo loco, cum affirmaſſet, apparentibus concoctionis ſignis abſin-

absinthium cum fiducia exhiberi, decreti rationem afferens, summum remedium esse dixit mordicationum sthomachi à bile prouenientium. Et luculentius lib. eodem cap. 14. exarando affectus, qui stomachi vitio febribus copulantur, declarat quantum adiumenti afferat absinthij vsus. Quasi non alia ratione illud præscribatur, quam ad occurrendum stomachi vitijs, cuius labores quo tempore febricitãtes affligũt absinthio, & astringentibus vti non dedecet. nam à principio de Gal. sententia 1. acut. 18. decreuimus sympthomatis alicuius ratione astringentibus vti, dum febres curamus, incongruum non esse. Cæterum non hanc sortitur facultatem oleum vitrioli, quæ absinthio comparari queat. nam illud, vti astringendo febricitantibus obest, sic nulli sympthomati occurrendo fert opem. Et propterea ex hoc capite omnino reijciẽdum est à febriũ curatione.

Inest postremo exiccãdi facultas chalcanthino oleo. qua pari de caussa vsus illius reprobatur in curandis febribus. Trita enim oratio est, quæ exiccant febribus aduersari; cum potius humectantia exiccantibus contraria prescribenda sint febricitantibus. hoc sibi voluit Gal. 1. de tu. Val. cap. 7. 1. aphor.

16. & 1. acut. 18. cum perhibuit. Si contraria contrariorum remedia existunt, sane febris peculiare remedium vt virtute tum refrigerante, tum humectante sit oportet: id namque febris naturæ, quæ calida & sicca est, contrarium erit: talis siquidem naturæ est ignis. ad hæc in febre tria sunt: contra quæ potissimum dirigitur curatio. Intemperies nimirum calida, & sicca; putredo; & succus putrescens. Intemperiei febrili inimica sunt quæ exiccant, tum quia ipsa febris calida, & sicca affectio est; tum verò, quia siccitas calorem acuit; quoniam illa, vt fertur, lima caloris est.

Putredini, & putrescenti humori exiccantia non occurrere, neque mederi, conijcere est ex eo, quod humores in febribus forte fortuna minime putrescunt. nam, si, quid ipsa putredo sit, contemplemur, reperiemus illa non affici humores, cum earum febrium caussas subeunt, quas putridas appellant. De putredine sic memoriæ mandauit Arist. 4. Metheor. vulgato cap. 2. Putrefactio est corruptio eius, quæ in vnoquoque humido propriè & secundum naturam caliditatis ab aliena caliditate. Hæc autem est quæ ambientis, Et Gal. 11. Metho. cap. 8. Putredinis natu-

naturam in eo consistere dixit, vt sit mutatio putrescentis corporis substantiæ ad corruptelam à calido externo . quibus definitionibus depræhendimus quæ putrescunt corrumpi, & mutationem substantialem suscipere.quod ipsum contingere putrescentibus succis, cum febrium caussas subeunt, indicauit Aetius lib.5. cap.73. sic scribens . præter naturam calor exoriens humores quidem primo, qui humidi sunt,putrefacit,& corrumpit:progressu verò temporis, & adipem & carnes, solidaq. ipsa corpora incendit . Putredo autem est totius substantiæ putrescentis corporis ad corruptionem mutatio à calore præter naturam illata . Cæterum mihi persuasum est non hanc mutationem quoad substantiam suscipere humores, cum fiunt caussæ febrium: sed incalescere tantummodo . Hoc sibi voluit Hip. lib.1. de morb. quando scribebat . Febris porrò ab his fit, cum bilis ac pituita calefacta fuerit, totum reliquum corpus ab his calescit, & vocatur hæc febris,scilicet significare voluit, humores incalescere, cum febris caussæ fiunt, non autem putrescere . Et confirmauit eiusmodi illius verba libro eodem, cum de ardénti febre loquitur. Febris ardens corripit magis biliosos : corripit item pitui-

toſos: corripit autem hoc modo. Cum bilis commota fuerit per corpus, & contigerit vt venæ, & ſanguis attrahant bilem, eamq. plurimam ex carnibus & ventriculo, ad eum qui prius ineſt: vtpote cum etiam natura calidiſſimus ſanguis in corpore exiſtat: cum itaq. percaluerit ex carnibus, & ventriculo ſupra eum qui iam ineſt, adhuc magis à bile percalefacit etiam reliquum corpus. Hactenus ille à quo nulla fit putredinis mentio ſed incaleſcentis humoris ſolummodo. pari quoque elocutione Ariſt. vbi de febribus orationem aggreſſus eſt, ſuccos dumtaxat incaleſcere perhibuit, nō illos putreſcere ~~ſupra~~ probl. 20. ~~humores incaleſcentes, protulit, febres~~ ac~~cendunt~~. Superans enim caliditas totius corporis febris eſt. Forte fortuna Gal. ipſe aliquando indicauit, putredine minimè labefactari humores ad efficiendas febres, ſed incaleſcere ſolummodo: quando primo Epid. ſect. 2. t. 73. in tertianis, ardentibuſq. febribus bilem accendi, & efferueſcere notauit. & clariora illius verba ſunt 4. aphor. 59. tertiana febris ab ea, quæ ardens nominatur, humore faciente non differt: vtraque enim à flaua bile fit: differunt autem, quoniam febris ardens in venis vna cū ſanguine flauam

bilem

bilem redundantem, & ebullientem habet. in tertiana verò in toto delatam, ac motam. Ebulliunt igitur, seu feruent humores cum febres accendunt. non ergò putrescunt. cum enim feruent humores ad efficiendas febres, non idem est, quod eosdem putrescere, conscijs feruescentiam distingui à putredine. hoc colligo ex Aetio lib. 5. cap. 69. qui cum declarasset synochum, de qua erat illi sermo, consistere in calidi sanguinis nondum putrefacti copia, caussas latius explanando, subiecit. causa, quæ has febres incendit, multitudo feruorq. sanguinis est. Sanguinis inquam feruor est, quoniam hic non putrescit ad illam synochum efficiendum. Sed est clarius locutus Paul. lib. 2. cap. 28. dum synochos effici protulit ex sanguine nunc efferuescente, nunc putrefacto. Voluit nimirum putridam à non putrida synocho distinguere: & in postrema sanguinem efferuescere, in priori putrescere dixit. vt indicaret, succos efferuescentes nõ putrescere, dum febres accendunt. quamobrem, vbi Gal. in ardenti, & tertiana febre bilem efferuescere confessus est, putredinem subtulisse affirmasse visus est, & indicasse succos verè non putrescere, quo tempore febrium caussas subeunt:

ſed hæc vetus fuit opinio, quam retulit Alexander lib. 12. cap. 2. de qua ſuo loco fuſius diſſeremus. hac igitur recepta opinione, quo bono conſilio vitrioli oleum ſummè calefaciens, exiccans febricitantibus propinatur? morbo alioquin detentis calido, & ſicco, & ab humoribus efferueſcentibus ſuſcitato. quibus tantum abeſt, vt afferat medelam oleum vitrioli, vt potius morbificam cauſam acuat magis ſiccitate, & caliditate accendat.

Sed demus aduerſarijs, humores putreſcere in febribus, ne rationes illorum aufugere velle videamur. nihilominus inutilia ſunt febricitantibus quæ exiccant. Nam, vt inquit Aetius lib. 5. cap. 74. ſeptem res occurrunt in febribus putridis præter naturam, à quibus indicationes colligimus: humorum nempe copia, craſſities, lentor, obſtructio, tranſpirationis detentio, putredo, & febris. Quibus indicationibus exiccantibus non ſatis facimus, neque ipſi putredini occurrunt quæ exiccant. Enimuero hæ à putredine ſumuntur indicationes Gal. teſte. 11. meth. cap. 10. vt quod iam factum eſt ſanet, quod in generatione eſt ſiſtat, medicus: hos ſcopos adimplemus euacuatione, & concoctione. quod ſibi voluit Gal. lib. artis med. cap. 89. & primo

mo acut. 18. cum decreuit, putredinem ſanari, & euacuatione, & concoctione. Euacuatio efficitur ſanguinis miſſione, purgatione, lotij prouocatione, & his ſimilibus. quo vero tēpore has molimur euacuationes, tantum abeſt prodeſſe ea, quæ exiccant, vt potius eligamus illa, quæ, quantum fieri poteſt, minime exiccent. vt cit. lib. meth. cap. 9. apertis verbis Gal. memoriæ mandauit. Concoctio naturæ opus eſt: ad quam efficiendam, iuuamen non afferunt, quæ exiccant. Dices, cum fit putredo, lædit obſtructio. fateor: proinde iuuat deobſtructio; obſtruit viſciditas: ideo fert opem, quod incidit. adfert noxam craſſities: iuuat ergò attenuare. hæc omnia vera ſunt. Cæterum iſtud opus non molitur quod exiccat. exiccantia ergò nullo modo conferunt, cum febris adeſt ex putredine orta.

Obijcient forte nobis peſtilentes febres, quibus exiccantia prodeſſe deprædicatur ab oppidò quam multis. Gal. fortè ductis teſtimonio, qui primo de differ. feb. cap. 4. cum obſeruaſſet ſummam eorum, quæ concurrunt ad efficiendas febres peſtilentes, in putredine conſiſtere, illi vt occurreret, eo artificio vſus eſt, vt ſtatim quæ corpora humida

obſer-

obseruabat, exiccaret ab initio; quæ verò sicciora, antiquum habitum conseruaret. Et videtur famulari Auic. quando f. 1. 4. t. 4. c. 3. statim ab initio capitis pestilentium febrium curationis summam esse dixit exiccationem, quasi hæc præcipuum locum habeat in curatione, & summa cura illa inducenda sit, ad quam efficiendam exiccantibus opus esse videtur. Verum obseruanti mihi in pestilenti febre (si communiorem sententiam sequi velimus) duo reperiri, contra quæ præcipue dirigitur curatio, quorum primum est putredo, alterum perniciosa, & praua qualitas. Putredo pestilentium febrium nihil magis indicat in pestilenti febre, quam in cæteris febribus à putredine oriundis. quibus, vti non conducunt exiccantia, sic minimè opem afferunt in pestilentibus. perniciosa, & praua qualitas anthidotis curatur, quarum agendi facultas potissimum pendet à tota substãtia, cui suapte natura minime opitulantur, quæ exiccant: quemadmodũ neque ijs, quorum actio proficiscitur à primis qualitatibus hæc inquam pensitans veni in sententiam, nec ipsis pestilentibus febribus iuuamen afferre, quæ exiccant. Vnde loco Auic. nuper citato in quo videtur decerni vt exiccan-

di

di præcipua ratio habeatur in hiſce febribus. Reſpondendum eſt, de ea illum locutum exiccatione quæ euacuatione efficitur, non autem exiccantibus medicamentis. Expreſſe hoc indicant illius verba iſthæc. Summa curationis earum eſt exiccatio, & illud cum phlebothomia,& ſolutione ventris. voluit dicere. omni cura enitendum ſtatim a principio corpus euacuare pharmaco, vel venæ ſectione. Aſſolet enim Auic. prædictas euacuationes exiccationes appellare. Aſtipulatur idem auctor f. citata t. 5. cap. 7. dum ſcribebat phlebotometur quantitate, qua exiccet. & hæc confirmant verba illius f. eiuſdem t. 2. cap. 7. oportet vt tu occuperis in digeſtione, & euacuatione, quæ non eſt ſecundum ſemitam minerationis, & exiccationis. Hinc Gentil. omnibus citatis in locis interpres arbitratus eſt, exiccationis nomine accipiendum minoratiuam, quam vocant, euacuationem, quippe qui illud conſilium eſt ſecutus, euacuationum nonnullas minoratiuas eſſe, alias eradicatiuas: & priores exiccationes nomine complecti. Aperit ſolutio hæc ſenſum verbis Gal. citati lib. de differ. feb. vbi ad præcauendum corpora à peſte, quæcunque humida obſeruabat omni via exiccare conabatur.

batur. nam recepto, vt verè ſe res habet, verba facere illum de præſeruatiua curatione, aduertendum eſt, qua via exiccabat corpora Gal. opinandum non eſſe factum exiccantibus medicamentis:ſed quà via ſana corpora exiccari mos eſt: ſcilicet exercitationibus, laboribus, frictionibus, potu, ciboq. parciori, & alijs his ſimillibus: quibus exiccari corpora libris de diæta teſtatus eſt Hipp. &, ſi quis eſt, cuius opinio ſit, hoc factum exiccantibus medicamentis, toto cœlo illum aberrare opinor. Concludamus igitur, exiccantia, aſtringentia, quæq. nimium calefaciunt, obeſſe febricitantibus: & has dotes cunctas nactum chalcanthinum oleum. ideò iuſtis de cauſſis vſum illius reprobatum in febrium curatione. quemadmodum ab Vrbanis etiam medicis optimè notatum, & memoriæ traditum fuit; inter quos optimum laudare eſt inſignem virum Vincentium Alzarium à Cruce S.D.N.D.PP.Gregorij XV. & Principis Illuſtriſs. Ludouici Ludouiſij Card. Camerarij, Medicum: nec non etiam in Almo Vrbis Gymnaſio medicinæ practicæ profeſſorem eximium; de quo cum contigerit ſemper honorificè loquar. qui in ipſius diſputationibus de chalcātho eiuſq. oleo, can-

dem

dem conclusionem certis argumentis patrocinatus fuit: quæ breuitati consulentes, consultò omittimus.

Oleum chalcanthinum, an prosit tabidis, & sanguinem expuentibus. Cap. XI.

TAmetsi Gal. 7. aphor. 16. phtisim definierit totius corporis extenuationem ex vlcere pulmonum insanabili; nihilominus istud frequentissimè contingere accipiendum est. quando, etiam absque pulmonis vlcere phtisim procreari posse, certis argumentis constat, & aperte insinuauit Areteus lib. 1. tard. pass. cap. 8. sic scribens. Quin etiam quibuscunque quidem vlceratus pulmo non fuerit nihilominus tamen diuturnis febribus consumpti sunt, sæpiusq. duriter, & absque affectu vllo tussientes nihil reijciunt: hos quoque phtisicos haud ita multum impropriè nominarunt. simul verò, & his adest pectoris grauitas: pulmo enim infirmus est. Quæ vero sit hæc pulmonis infirmitas, docet Salius lib. 2. de morb. t. 106. cum explanauit, talem, de qua Hipp. sermo fuerat, non ex vlcere pulmonis prodire, sed ex illius putrescentia,

ex qua tabem conſequi affirmauit, Et hanc opinionem confirmauit Hier. Fracaſ. lib. 2. de morb. contag. cap. 9. cum perhibuit. Illam quoque poſſimus phtiſim ſatis propriè appellare, quæ corruptis putrefactiſq. pituitis ita pulmonem affecit, vt, ſi non vlceratus eſt, at flaccidus tamen, & putridus iam reddatur, Quippe factis diſſectionibus quorundam, vidimus interdum partem pulmonis ſinceram, & nullatenus vitiatam, partem nondum exacte putridam, nondumq. vlceratam, ſed tamen flaccidam, mollemq. atque in marcorem tendentem, quandoq. & totum pulmonem, & talem vidimus: quare, cum marcor ille in pulmonem ſerpit, phtiſicum appellare merito hominem poſſimus. ſic ille.. Quæ ea de cauſſa innotuiſſe volui, vt liqueat, inſida ratione admitti oleum chalcanthinum ad curanda phtiſis vlcera, cum iam ſatis compertum ſit, omnem phtiſim cum pulmonis vlcere non effici. quanquam omni phtiſi peculiari ratione obeſſe illud perſuaſum habeo: & proinde ad medelam illius nullo pacto vſurpandum. Etenim, ſi à chalcantho ad illius oleum ratio formari poteſt; (ſimilis quippe ambobus natura ineſt) illud, vt lib. de venen. Arnald. teſtatus eſt, & exiccando pulmones,

eoſq.

eosq. corrodendo necat, & tussim affert, quæ ad phtisim perducit, quo fit, vt chalcanthum, & oleum illius obsit, non prosit tabidis. Sed de oleo ipso pręcipuè notatur à Schenk. lib. 7. obseruat. 218. inter cætera detrimenta illud vnum afferre, vt pulmones exulceret; vnde tantum abest, vt opem afferat propinatum tabidis, vt morbum potius augeat, & interitum acceleret. &, quemadmodum emaciati arcendi sunt ab vsu vitrioli, quibus præcipuè infestum est, & noxium vti ex Rasi lib. 8. ad Almansorem cap. 47. recepta sententia est, pari quoque ratione tabidi (non enim fit tabes absque corporis macie) ab oleo vitrioli arcendi sunt, eo quod istud cum vitriolo parem, vel potius maiorem obtinet nocendi potentiam.

Non est perquirendum hoc loco qua ratione oleum chalcanthinũ obesse possit phtisicis alijsq. pulmonis morbis potatum etiam cum ijs, quæ malitiam illius aliquo modo retundunt. eò quod iam satis constat, potum ad pulmonem non ferri: quemadmodum lib. 4. de morb. fusè disputat Hipp. & Arist. lib. & cap. 3. de part. animal. sed à ventriculo illum suscipi. quod sibi voluit Hipp. lib. de alimento, cum dixit, principium alimenti hu-

ti humidi, & ſicci os, gula, & venter, & lib. de oſsibus, potus perfauces, & gulam. nam hoc non obſtat. quin ea, quæ potu hauriuntur, aliquo modo pulmonem non adeant, ob conſenſum, & affinitatem magnam, quæ inter potum accedit, & pulmonem. hoc ſibi voluit Aret. lib. 2. acut. paſſ. curan. qui de peripneumonia edifferens primo capite nullum ex ijs medicamentis. quæ ore ſumuntur, deſpiciendum dixit. quoniam ea natura pulmonis eſt, vt, ſiue rectè valeat, ſiue ægrotet, ad ſe ſemper humorem alliciat. Et rurſus exarando. modicum potum aſſumendum, ideo conſilio efficiendum mandauit, quòd madefactio pulmoni inimica eſt, quam à gula & ventriculo ille trahit. Pari conſilio Hip. lib. 3. de morb. de pleuritide illa verba faciens, quam ipſe dorſalem appellat, in potu vinum dulce exhibendum eſſe decreuit, illudq. non frigidum, ea de cauſſa, vt pulmo humidior factus facilius, & citius reddat ſputum. his conſentanea ſunt quæ idem memoriæ mandauit. 3. acut. de mellicrato, cum text. 10. minus ſiticuloſum eſſe voluit quam vinum dulce, eo quod pulmonem mollit, & ſputum mediocriter educit, & tuſſes mitigat. ad hæc t. 13. mulſa, inquit, quæ aquoſior eſt

ſputum

ſputum educit magis, pulmonemq. mollit. vnde lib. 2. prædictio. vniuerſe dixit, qui nimium poti ſunt difficilem habent reſpirationem. quibus ex omnibus comprobatur, ea, quæ pro potu aſſumuntur, aliqua ex parte pulmones adire. & enucleatius iſtud confirmatur ex pulmonis morbis quos potus efficit. quamobrem lib. 2. de morb. Hipp. ex ebrietate eriſypelas in pulmone naſci teſtatus eſt. & lib. de inter. affect. ex vinolentia in parte eadem inflammationem oriri. quo citato libro hydropem ex eo potiſſimum fieri ſcribit, cum aliquis æſtiuo tempore ſitiens aquam multam potatus fuerit, fueritq. expletus pulmo. ſimillima igitur ratione, ex olei vitrioli, cum aquis, vel etiam refrigerantibus, alijſq. his ſimilibus, ingurgitatione ea quæ illi ineſt, vis corrodendi, pulmones exulcerari veriſimile eſt. ex quo ſequitur nullum adiumentum afferre illud poſſe tabidis. Sed eſt hac in re laudandus Minder. dum cap. 9. lib. de chalcantho in pulmonis pectoriſq. morbis chalcanthinū oleum prorſus reprobat; neque ijs accommodatum vlla ratione cenſet. Itaq. ex ipſis Spagyricis cōſtat, phtiſi, alijſq. pectoris vitijs reprobandum. vitrioli olei vſum.

In ſanguinis ſputo non me latet arriſiſſe nonnullis olei chalcanthini vſum. attamen ex Orib. notabam ipſe lib. 10. coll. cap. 22. Quinque generibus præſidiorum ſanguinis ſputum cohiberi ſcilicet refrigerantibus, agglutinantibus, ſiccantibus, & adurentibus: vt myſi, calcitide, atramento ſutorio, quæ in adurentium numero reponuntur. cuius facultates cũ emuletur oleum chalcanthinum, & ipſum in adurentium numero collocandum eſt. Cæterum adurentia duplici nomine reijcientur in ſanguinis ſputo, primò quia illud agglutinãtibus cohibendum eſt eodem Orib. teſte præallegat. loco & hinc factum eſt, vt exiccantia, & adurentia (quale eſt oleum chalcanthinum) reprobauerit ille. Secundò quia idem auctor ex agglutinantibus ſuſpectum habuit gypſum, cæruſſam, dyphringes, & cadmiam, quæ veneni vim habent. qua pari ratione reijciendum eſt oleum chalcanthinum, quod veneni ſuſpicione non caret. Dicet quiſpiam, ideo vitrioli oleum vſurpandum in ſputo ſanguinis, quoniam vehementer aſtringit, & exiccat: quibus medicaminibus ſanguinis reiectionem compeſci in confeſſo eſt. Huic obuiam eundum eſt, eò, quòd eximiè illud aſtringit, &

exic-

exiccat, euitandũ in ſanguinis ſputo. Etenim fugienda ſunt (inquit Aetius lib. 8. cap. 63.) in omnibus ſanguinẽ expuentibus vehementer aſtringentia, & excellenter inſpiſſantia. Et exiccantium, dixit Aret. lib. 2. acut. paſſ. cur. cap. 2. aut craſſarum mediocritates coniectura aſſequi oportet id genus namq. tuſſim mouent, ſiccitatis quoque excellentia nonnullis venas lacerauit. quæ allati auctores tradidere præcepta, vt diſcamus, vehementer aſtringentia, & exiccantia reijcienda in ſputi ſanguinis curatione. Quam facultatem quoniam chalcanthinum oleum aſſecutum eſt, ideo reprobandum illud eſt in illius curatione.

Oleum chalcanthinum, an cardiacum ſit medicamentum. Cap. XII.

QVemadmodum medicamentorũ nonnulla ſunt, quæ propria dote hanc, vel illam corporis partem præcipuè lædunt, illiq. inimica ſunt; pari ratione ex ijs nonnulla extant, quæ ſuapte natura, teſte Gal. lib. 5. de ſimpl. cap. 24. & lib. de theriaca ad Pyſ. cap. 4. membra nonnulla iuuant, ex quo etiam iuuamine cognominationem ſu-

ſtepere adeo vt hæc cæphalica, exempli gratia dicantur, cardiaca illa. & ſic de ſingulis. & cauſam aſſignantes, medici, referunt illam in cognationem,& ſimilitudinem,quæ inter medicamenta eſt, & partes noſtri corporis. His facultatibus non omnino ſpoliatum oleum chalcanthinum deprædicatur: quando inter cæteras dotes, hæc vna tribuitur illi, vt cardiacum ſit medicamentum. Hoc inſinuauit Minder.dum lib.de chalcantho cap.9.ſcribebat. hic eſt rubus ille Iudæus cordis vires reparans,cuius dotes innumeræ, ac facultates inſignes nullo ſunt volumine compræhendendæ. & rurſus eodem capite ſic de illo diſſerit. cum ſyrupo florum borraginis,ac bugloſſæ; item cum ſyrupo florum tunicæ, ac rubi Iudæi, vel violata ex foliolis cor recreat,& infirmas eius vires reparat. Quinimo chalcantho ipſo ea facultas donatur, vt cordi, alijs medicamentis admixtum, & ſuper poſitum, peſtem auertat, corporaq. præcaueat. Quam ſententiam ſecutus Heur. medicamen huic vſui accommodatum in hunc modum conficit lib.de peſte cap.8.Accipe adipem ſerpentum, adde theriacam, & parum vitrioli, & cum ſucco citriorum illine regioni cordis,& arteriarum. eſt ſanè,

inquit

inquit ille, excelſum remedium.

Veruntamen veritati ſuus detur locus, nulla vi, nullaq. facultate adeò inſignitum chalcanthinum oleum exiſtimo, vt cardiacum ſit medicamen. nam, ſi Gentili habenda fides eſt, hic f. 11. 3. t. 1. cap. 8. duo neceſſaria voluit ad efficiendum cardiacum medicamentum, ſcilicet vt peculiari dote cor roboret, & temperatæ, vel parum excedentis ſit temperiei. Medicina, inquit ille, vere cordialis confortat cor, & æqualis eſt cõplexionis, vel parum excedentis. Itaque pari conſenſu Lud. Merc. tom. 1. lib. 3. par. 3. quæſt. 213. art. 3. & Capiuac. lib. 2. meth. curan. human. corp. affect. cap. 8. in omni cordis morbo euitanda decreuerunt vehementer calefacientia, vel refrigerantia, & vehementer aſtringentia. eo quod calefacientibus virtutis ſubſtantia diſſoluitur, refrigerantibus qualitas immutatur ad frigidũ, aſtringentibus cohibentur excrementa; harum priores igitur facultates concurrunt ad conſtituendum cardiacum medicamentũ, & poſteriores reluctantur: hiſce prioribus carere, & nonnullarum pollere ex poſterioribus oleum chalcanthinum in confeſſo eſt. nam peculiaris illi non ineſt facultas roborandi

cor, cum potius aduerſetur illi. proprium enim venenorum eſt, vt peculiari dote cordi detrimentum afferant. Venenum quippe eſt oleum chalcanthinum. quamobrem ex hoc capite reijcitur ab ordine cardiacorum medicaminum. Rurſus quia cauſticum illud eſt medicamentum, ſumme quoque calidum eſt. &, quoniam vehementer aſtringit, ſequitur illud minime aſſecutum cardiaci medicamenti facultates: ſed potius qua pollet venefica potentia cordi aduerſari, nec, tanquam cardiacum medicamentum opitulari.

Reliquum eſt pauca addere de chalcātho: illud nimirum cordi ſuppoſitum alijs etiam medicaminibus admixtum non ita tueri cor, vt hominem præſeruet à peſte. pro qua euidentius definienda quæſtione animaduertendum arbitror, arriſiſſe multis conſilium ad præſeruandũ hominem à peſte eiuſq. contagio, vt arſenici cryſtallini portio geſtetur ſuper cordis regionem, à quo tueri hominem à peſtis labe fama eſt. qua in re exequenda monitum fuit à Vidio Seniore lib. 6. de feb. cap. 5. vt arſenicum incluſum geſtiatur ſericio ſacculo: eo nempe conſilio, ne partem nudam cõtingat, & fuit ab eodem adiectum, quo tempore geſtetur illud, declinandas om-

nes

nes occasiones, quæ sudorem excitare possint: ne, rarefactis cutis poris, venenosi vapores cum vitæ discrimine cor infestent. at verò Augen. t. 1. epist. lib. 9. epist. 1. late disputat, nec pro curanda pestilenti febre, neque etiam pro homine præseruando ab illius incursu quicquam opis afferre cryſtallinum arsenicum gestatum. Pari quoque ratione de chalcantho affirmare auserim, neque manifestis, neque occultis qualitatibus cor ita munire, vt hominem tueatur à peste. quin imo venefica, atque eximiè calefacienti facultate cordi infensum esse, & inimicum. & tunc præcipuè, cum nudam carnem attingit: adeo vt detrimentum afferat cordi, alijs etiam medicaminibus admixtum, & illinitum, quam iuuamen, aut commodum. Vnde non mediocri carent culpa, qui calidissima medicamenta, inter quæ reponitur chalcanthum, cordi apponunt, cum febrem pestilentem curare dant operam: eoq. eximie hæc calefaciendo, febrem acuunt, calefacto cordi calorem addunt, & febrem ipsam adaugent. ex quo nullum iuuamen consequitur ex laudatissimo, & celebratissimo medicamento.

Oleum chalcanthinum, an vesicæ lapidem frangat. Cap. XIII.

NOn tãtum Minder. cap. 10. lib. de chalcantho, verum etiam alij nonnulli sensere, oleum chalcantinum ea facultate præditum esse, vt, deuoratum, vessicæ lapidem confringat. quod an recta ratione traditum sit, assequi non est facile, nisi prius inquisiuerimus qua facultate sint prædita medicamina, si quæ sunt, lapidem atterentia. horum facultates nos docuit Gal. 10. catatop. cap. 1. cum dixit quæ calculosis auxiliantur vnica facultate indigent, quæ secare, & abstergere cũ manifesta caliditate possunt, sunt autem ferè omnia amara. Attamen caliditatis gradum non summum, sed valde remissum illa sortiri in confesso est: quando Gal. lib. de renum affect. cap. 4. tepido calore prædita memoriæ mandauit, dum scribebat. Si post hæc omnia, quæ diximus, lapis adhuc firmiter resistat, vtendum est medicaminibus, quibus conteratur, quæ tepidam facultatem habent: Nam calida vrinam prouocantia indurant lapidem; quæ vero tepidam virtutem habẽt, paulatim comminuunt lapidem,

dem, nec eum duriorem reddunt. Non dubito quin hoc senserit Auic. f.18.3.tract. postremo cap.19. cum non admodum calida esse voluit medicamina lapidem atterentia; & idipsum voluisse sibi Auerr. 5. coll. cap. 20. cum calorem in illis suauem optandum esse decreuit, nec admodum calida illa expetenda esse. siquidem, quæ valde calefaciunt, calculosis dari nullo modo conuenit Gal. teste 6. de tuen. valet. cap. 11. Itaq. (sæpe sæpius constituto chalcanthinum oleum summe calidum esse) decernendum est, non illum caloris gradum assecutum; eamq. nactum facultatem, qua lapidem confringere queat, quinimo, illo potato, ingens potius detrimentum consequi quod est commune omnibus summe calefacientibus: quemadmodum indicauit Fernel. lib. 5. meth. cap. 25. in hunc modum scribens. Solidiores verosq. calculos, quæ propriè comminuere traduntur, attenuant, inciduntq. nullo calore, nullaq. siccitate insigni: nimius enim calor concretum calculum magis excoquit, & obdurat, obiterq. quæcunque medijs vijs obhærescunt superuacanea secum in renes deducit, vnde vrina aliàs supprimitur, aliàs tenuis perlucida præterfluit.

Quinimo

Quinimo pensitando quæ calculus efficientem caussam habeat, inueniemus, oleum chalcanthinum non parum conducere ad illum efficiendum, & augendum. Quandoquidem Gal. calculi efficientem causam recitando, illam opinatus est calorem esse, eundemq. interdum non ignauum. hoc declarauit ille 3. aphor. 26. vbi, inter cæteras causas, quamobrem calculi fiunt pueris, caloris vehementiã arbitratus est. vnde 3. de aliment. facult. cap. 17. in ijs corporibus calculos nasci memoriæ mandauit, in quibus succorum crassities cum igneo calore coniuncta est. hanc sententiam sequitur Auic. f. 18. 3. t. postremo cap. 17. cum vesicæ, ac renum calculi caussam efficientem esse perhibuit caliditatem ab æqualitate sua, vt ille loquitur, egressam. Galeno famulatur Paul. lib. 3. c. 15. & Aetius lib. 2. cap. 4. quorum prior igneam caliditatem, posterior ardorem esse in causa, quamobrẽ concrescat lapis, posteritati scriptum reliquere. Sed ante omnes Hipp. ipse ita de calculi efficiente caussa locutus est, vt omnino consensiendum videatur, calorem etiam non ignauum illius caussam efficientem constituendum esse. Itaq. lib. 2. de nat. hum. text. 2. pueris calculos in vesica fieri docuit,

docuit, & ob partis illius, &, ob corporis totius caliditatem. hinc lib. 4. de morb. dum exarat qua de cauſſa pueris concreſcant lapides in veſsica, comparat generationi ferri illorum procreationem; quod vi ignis ex lapidibus, ac terra ſeparatur, agglutinaturq. qua pari ratione, inquit ille, quod eſt feculentum in veſsica, ferri inſtar, denſatur, ſolidumq. fit. at vi ignea ferrũ conficitur. ignea ergo caliditate calculus in veſsica agglutinatur, denſaturq. in veſsicæ pariter caliditatem cauſam refert Hipp. lib. de aëre, aquis & locis, quare potatoribus aquarum magnorum fluminum, & pueris lac impurum ſugentibus fiunt calculi. qua vnanimi claſsicorum auctorum ſententia liquet, efficientem calculi cauſam decernendum eſſe calorem, eundemq. interdum non ignauum, ſiuè partium proprius, ſiue aſcititius ſit.

Non ignoro, dubitari poſſe, an vere dictum ſit, ab vrenti calòre poſſe effici lapidẽ. Etenim Hier. Merc. lib. 2. variar. lect. cap. 11. & lib. 3. de curan. human. corp. malis c. 33. à caliditate ſatis moderata, quam teporem appellat, tanquam à cauſſa efficiente, lapidem formari teſtatus eſt. Quinimo, & à frigida cauſa cogi lapidem, ex eo videtur probari,

bari, quoniam idē Merc. loco allegato lib. 2. var. lect. de Gal. ſententia ſubſtinet, quem inibi etiam repræhendit, lapidem veſsicæ in pueris ob frigiditatem gigni. Card. etiam 4. aphor. 79. frigus tanquam calculi efficientem cauſſam admittit, ſic perhibens. materia multa, craſſa, ac terrea cogitur in vnum in veſſica, primum quidem ad quantitatem ciceris, aut fabæ, cuius pars intima concreſcit: &, quoniam eijci non poteſt, tandem calore, ac frigore parte tenui conſumpta, in lapillum coaleſcit. fauet huic ſententiæ Alex. 2. probl. 45. dum expoſuit, ſenibus ideo calculos fieri quoniam frigidiores ſunt. & famulantur quæ in hunc modum ſcripſit Areth. lib. 2. tard. paſs. cap. 3. concretionis cauſſæ geminæ ſunt: in ſenibus frigidum corpus & craſſus ſanguis. frigidum verò craſſas materias celerius cogit. indicio ſunt aquarum natura calidarum fontes: hæ namq. refrigeratæ in tophaceum lapidem condenſantur (ſed poſtremæ huius ſententiæ vanitatem, nempe calculum minime cogi à frigida cauſa claram effecit Ariſt. 10. pobl. 42. vbi querens cur nullum animal, niſi homo, calculum patiatur, inter cæteras cauſſas loci caliditatem affert in qua fit calculus: annuens calorem

ſolum

ſolum illius eſſe cauſam. quæ eadem Alex. fuit opinio primo probl. 110. cum affirmauit calculum calorem conſiſtere tum pueris, tum ſenibus. At clarior multo Gal. ſententia eſt lib. de renum affect. cap. 2. affirmantis fieri non poſſe, vt viuente homine, tantum frigus augeatur, quo lapis cõcreſcere valeat. & Card. ipſe contrariæ opinionis ſectator lib. de alim. ſect. 41. renum, & veſſicæ lapidis non aliud agnoſcit agens, præter calorem. Itaq. Merc. Gal. ſententiam non aſſecutum affirmandum eſt, dum voluit, illum conſtituere auctorem, vt ſenſerit, à frigore lapidem cõſpiſſari, dum 3. in 6. epid. com. 15. ob veſſicæ frigiditatem lapidem concreſcere dixit. Scitum enim ſit oportet, veſſicæ calculum ab vrenti quidem calore coaleſcere. veritati tamen non repugnare, effici illum nonnunquam etiam à moderato. vt Gal. inſinuauit citato nuper commentario, cum tradidit, à calore etiam mediocri materiam lapidis conſpiſſari: ex induſtria equidem appoſita eſt particula, etiam, ſcilicet vt indicaretur à vehementi etiam calore, vti & à mediocri ad lapidem procreandum materiam illius cogi. at clariora multo ſunt verba illius lib. de renum affect. loco antea cita-

to, vbi, cum aſſeueraſſet, tantum frigoris in homine non exiſtere, qui ſatis ſit ad lapidem efficiendum, ſubiecit. à calore, vel vehementi, vel tepido illum conſpiſſari. ex hoc ergo compertum ſit, amplectendam non eſſe eiuſdem Merc. ſententiam, qua conſtitum voluit, à moderato tantum calore lapidem veſſicæ effici, vehementiore reiecto. Siquidem præallegata Gal. teſtimonia contrarium ſuadent: & Merc. ipſe lib. 2. de morb. puer. cap. 21. dum lapidis veſſicæ cauſam efficientem caloris magnitudinem conſtituere non dubitauit: adeò vt, ex ſententia illius, calor etiam vehemens minime reijciendus ſit ab efficiente lapidis cauſa. Vnde dum Gal. veſſicæ frigiditatē materiam ad ſe tranſmiſſam cogere & conſpiſſare protulit, frigiditatis nomine intelligenda minime venit ipſa frigiditas, ſed imbecillis calor veſſicæ, quem ſatis eſſe arbitratus eſt ad lapidem condenſandū. Comparatiue enim ad partes calidiores, veſſicam, aut particulas nonnullas imbecilliore calore præditas, frigidas appellare conſueuit Gal. facilis quoq. ſolutio eſt Alex. probl. vbi viſus eſt conſtituiſſe ſenes, eò quod frigidiores ſunt, calculoſos fieri ſolutio enim hæc eſt, inibi minime verba fieri de cauſa lapidem effi-

efficiente. sed de causa quamobrem multa colligantur excrementa, ex quibus senibus lapides fiunt. perhibuit ergò, cur senes, & pueri magis, quam, qui ætate sunt firmiore, calculosi sunt? pueri vt ædaciores, senes vt frigidiores, & imbecilliores multa per cruditatem colligunt excrementa, quæ calculum colligunt. Arethei denique auctoritas, vel deserenda est, vel ita interpretanda, vt in senibus naturalis frigiditas in causa sit quamobrē crassiores humores procreentur, collectiq. inspissentur in lapidem adeo vt non de causa efficiente proxima, sed efficiente materiam sermo potissimum sit. & hanc constituat non positiuam frigiditatem, sed frigidum corporis temperamentum, cuius calorem satis remissum, & debiliorem censeat conducere ad materiam procreandam, ex qua lapis fiat. Igitur, vt cœptum sermonem prosequar, quia iam satis costat, calorem etiam non ignauum vessicæ lapidis efficientem causam esse, & hunc acui, augeriq. posse chalcanthini olei vsu, hinc sequitur, vt prorsus illud reijciendnm sit ad illius medelam.

Dicet fortè quispiam, aciditate, ac tenuitate partium chalcanthi oleum lapidem confringere,

fringere, vel etiam propria ſua dote, quæ à tota ſubſtantia pendet. ex Auer. enim loco anteà deducto ſatis compertum eſt, ſaſsifraga nonnulla exiſtere, quæ à proprietate, quam totam ſubſtantiam dicunt, hoc opus moliuntur. Aciditate verò idipſum poſſe efficere oleum chalcanthinum, argumentum deduci facile poteſt ab aceto, quod Aetio teſte lib. & cap.[illegible] calculoſis omnibus hac de cauſſa exhibendum eſt. & confirmatur Vitruuij diſſertatione cap. 3. lib. 8. comprobantis, acidas aquas ſimilibus rationibus petitis ab aceto lapides confringere. quibus, oleum chalcanthinum, & ſi acre ſit, aciditate potentiùs eſſe cum conſtet, efficacioriq. potentia præditum cum ſit, facilè rationi conuincimur, & illud lapidem veſsicæ atterere. Sed his obuiam itur, ſanationis exempla deſiderare nos, vt fateamur oleum è chalcantho ſuapte natura veſsicæ lapidem confringere; Verum hac in parte ignorandum non eſt, detrimentum inferre poſſe illud, certis argumentis aſſequi nos: quod verò lapidem atterat probare velle; hoc opus hic labor eſt. Nos enim alio opere docuimus, veſsicæ lapidem grandiorem factum crudum eſſe morbum, hoc eſt curationi rebellem, & contumacem:

macem; adeo vt nullis cedat remedijs. & idcirco omnem curationem ab illis expetitam temerariam esse, & inanem. Vnde est, vt rectè censeam dictum à Capiuac. lib. 3. meth. curan. morb. cap. 28. nescire se remedia, quæ calculū in vessica frangere quæant. Rationes ergo deductæ ex Victruuio diluuntur; parem nullo modo sortiri efficaciam remedia exterius apposita, & vsurpata, cum deuoratis ad confringendum lapidem. Etenim quo tempore optamus quidpiam aceto dissolui, atque conteri (à quo par ratio cæterorum acidorum desumitur) illud immergendo nullis rebus admixtum, acetoq. ipso nulla passo alteratione pro sua efficacia acètum operatur, & forte, quæ optamus, dissoluit: at non sic contingit, cum ingestum est ad lapidem conterendum, siquidem viarum longitudine, & concoctionibus immutatur, alteratur, ac penè corrumpitur antequam vessicam adeat: vnde est, vt suæ efficaciæ tantum amittat, vt votis non respondeat sanatio. quam rationi deductæ ex aquis acidis dici possit has sua potentia lapides vessicæ nullo modo confringere, siq. experimento acquiescendum est, hoc ipsum experimento comprobare non esset difficile. Sed de aquis

ad contrarium

+quamquam

acidis differere, in magis opportunum locum relinquo.

Oleum vitrioli, an melancholicis conueniat: & vtrum phlegma illius, illiusq. oleum morbis vteri dari possit. Cap. XIV.

LAudo doctissimi viri conatum, dum aduersus Minder. operam dedit demonstrare, melancholiæ hippocondriacæ vitrioli spiritus non conducere: nec non phlegma vitrioli, illiusq. oleum aduersum. Sed deductas ad hæc probanda rationes satis inefficaces censeo. Siquidem melancholiæ, ideo oleum vitrioli, vel eius spiritus contrariari promulgatur, quoniam Hipp. 3. acut. 38. acetum melancholicis minime conuenire dixit, quia fermentat atrum humorem. Vterinis vero affectionibus phlegma vitrioli, vel oleum idcirco aduersari dicitur, quoniam Hipp. sententia est citati lib. 3. acut. 39. mulieribus longe magis quam viris aduersari acetum, eò quod vterum dolore afficit. Si ergo acetum, ita subijcitur, vt acidum vtero aduersatur,

ſatur, vitrioli phlegma, vtpote in aciditate potentius, magis aduerſabitur; maximè verò, & extremè vitrioli oleum acidiſſimum.

Quas ab aceto depromptas rationes non tanti faciendas exiſtimo, vt illis perſuaſum habeam melancholicis, & vterinis affectionibus minime opem afferre oleum vitrioli, vel eius phlegma. Nam & ſi Hipp. quæ de aceto prædicata ſunt, protulerit, non tamen teſtimonia deſunt quibus demonſtratur melancholicis (vt ab illis exordiar) opem afferre ipſum acetum. Pro qua re euidentius declaranda ignorandum non eſt, ea de cauſſa aceti commoda, & detrimenta præcipuè exaraſſe Hipp. citato lib. 3. acut. vt quibus obeſſe, vel prodeſſe poſſit oximel deprahendamus, ex cuius admixtione illud conficitur. Quare, vti ex aceti cognitione, & viribus illius, oximelitis facultates intelligimus, prout aceti admixtio patitur, pari ratione ex oximelitis viribus de aceto philoſophamur. Cæterum oximel melancholicis cum iuuamine propinari indicaſſe viſus eſt Oribas. lib. 5. coll. cap. 24. vbi oximel omni ætati, & naturæ ad tuendam valetudinem vtiliſsimum eſſe promulgauit. At melancholicos eos dicimus, qui vel natura ſunt melancholici, vel

morbo ex melancholia exorto laborant. Ergo, quoniam oximel conducit omni naturæ, melancholicis etiam prodesse cõsensiendum est. Cæterum melancholicis nonnunquam oximel, vel acetum ipsum conducere duo satis insignes affectiones exprimunt, melancholicus scilicet morbus, & quartana febris: quibus in curandis affectionibus, quas ab humore melancholico effici communis opinio tuetur, nonnunquam acetum alias oximel, siue syrupum acetosum proponunt medici, eaq. suadent propinanda.

Pro quartana febre curãda nonnunquam acetum, vel medicamina, ex aceto conflata vsurpare medicos testem laudare est Celsum lib. 3. cap. 16. qui in quartana duplici calefacientia ante accessionem sorbenda mandauit, vel aceti cyatos duos. Sanè Gal. 1. ad Glauc. cap. 5. admonuit, non rarò quartanam splene male affecto gigni: quo patiente viscere, curationem illius nullo pacto negligendam ratio suadet, vt quartana rite curetur: lieni vero acetum, vel acetum mulsum satis accommodatũ Gal. ipse perhibuit lib. 9. de compos. med. sec. loc. cap. 2. adeo vt hanc saltẽ ob causam, dum viscus illud patitur quod melancholici succi est receptaculum,

lum, acetum à quartanæ febris curatione minimè reijciendum videatur. Hanc euidentius confirmat concluſionem Auerr. 7. coll. cap. 14. quo loco, documenta traditurus ad febrem quartanam exactè curandam, ea medicamenta pręcipuè commendauit, quæ ſpleni conſulunt: eaq. propinanda dixit cum ſyrupo ſquizibin, vel (vt alij legunt) ſquingibin facto ex vuis paſſis. Et enucleatius locutus eſt Halliab. lib. 3. pract. cap. 14. vbi non rarò quartanarijs ſquinzibin proponit exhibendum. Eſt autem ſquinzibin apud Arabes (vti Simeon Ianuenſis interpræetatus eſt in ſuo libro inſcripto clauis ſanationis, verbo oximel) vox, quæ apud illos ſyrupum acetoſum ex melle, vel ex ſaccaro complectitur. hoc eſt, vox iſta ſquinzibin apud Arabes tam ſyrupum acetoſum, quam oximel exprimit. Hinc Auëzoarris Interpretes lib. 2. tract. 4. cap. 1. vocem, ſquinzibin, oximel vertunt: & Andreas Beluenſis in ſua Arabicorum nominum interpretatione dictionem illam, ſquinzibin, ſaſauſeli ſyrupum vertit acetoſum de cidonijs. Quo perſpicuum fit hac, vna voce, ſquinzibin, ſyrupum acetoſum complecti Arabes. Diſtinguunt verò nonnunquam haſce compoſitiones, quod ſy-

rupum acetosum squinzibin saccari appellant, oximel verò, squinzibin mellis: vt videre est apud Halliab. lib. 10. pract. cap. 20. ad febrem quartanam curandam præscripsisse exhibendum esse squinzibin (quæ vox exprimit, vel syrupum acetosum, vel oximel) medicamina ex aceto conflata non abhorruisse visi sunt. Quare non immeritò Auic. f. 1. 3. t. 1. cap. 29. acetum commune digestiuum esse dixit omnibus materijs. Qua in ratione humorem etiam malencholicum cõplexum inibi testatur Gentilis. adeò vt neque à quartanæ febris medela, neque in morbi ipsius melancholici reijciendum, quin potius vsurpandum videatur. Hinc factum censeo, vt Petrus Apponen. conciliatoris sui differ. 170. & Iacob. de part. f. 1. 4. t. 2. cap. 9. in fine, syrupum acetosum omni materiæ cõducere affirmarunt, tametsi melancholicus succus illa sit. Ex quibus non ignobilis etiam ratio deducitur, melancholico morbo oppresis syrupo acetoso, vel aceto ipso opitulari interdum. Quod clarius confirmauit Paul. lib. 3. cap. 14. cum, melancholico, dixit, aceti quam acerrimi modicum sorbitioni datur somnum inituro. His consentanea locutus est Aetius lib. 6. cap. 10. apud quem

poste-

posteritati scriptum reperitur. placet præter hæc omnia (de melancholico quippe morbo illi sermo est) vt aceti acerrimi, quantum est cocleare, post cenam bibat, vbi dormitum accedit. Forte fortuna hanc sententiam reijcere conatus est Auic.f.1.3.t.4.cap.20. dum recitauit, extitisse nonnullos, qui laudarunt, vt in qualibet nocte melancholici acetum sorbeant: quorum sententiam idcirco suspectam habuit, quoniam aceti malitia illi timorem dedit huic morbo aduersa. Quanquam in morbo genito ex cholera adusta; vel male affecto liene, acetum conducere affirmare non dubitauit; Et, cum alibi dixerit, vti paulo ante retulimus, acetum esse commune digestiuum omnibus materijs, neque etiam in ipso morbo melancholico, à qua vis caussa genito, reijciendum videtur: vti nec reijciendum est acetum scylliticum, si Diosc. habenda fides est cap. 17. lib. 5. tradentis vtiliter melancholicis illud dari. Quibus ex omnibus colligo melancholicis non ita aduersum acetum, & medicamina ex illo concinnata; vt omnino veniat respuendum: quinimo salubriter interdum vsurpari.

In vterinis affectionibus (quod erat secundum disputationis caput) acetum, vel ex ace-

to pharmaca concinnata minimè reformidanda illa suadet ratio, quoniam Hipp. idcirco mulieribus, magis quam viris, acetum infensum dixit, quòd vteri dolores afferat: & nihilominus idem Hipp. hac deposita formidine, acetum ipsum in vterum immittere non dubitauit. quemadmodũ videre est apud illum lib. de nat. mul. quando de vteri inflammatione sermone instituto, scribebat. Vteros eluito pari mensura aceti ad aquam admixta. & de processu vteri ad coxam verba faciens, aiebat. Post, fomento ad vteros adhibito ex vino, medicamenta cum lauro præparata immittito, & apponito, quæ non mordent admixto aceto. Et rursus edisserens de acetabulis pituita plenis, hæc memoriæ mandabat. post subditiria apposita, pari mensura aceti ad aquam admixta eluito. Quibus addo Auenzo. loco præallegato, qui perbelle disputat, vterum ab aceto lædi, & oximelite: modica tamen in quantitate illa se vsurpare, affirmare non dubitauit. Et Gal. 9. de compos. med. sec. loc. cap. 10. cui consensit Auic. f. 21. 3. t. 4. cap. 18. in vteri strangulatu acetum scylliticum ad sorbendum dandum esse censuere. Ab hac sententia longinqua non sunt, quæ nonnulli ex probá-

tis auctoribus tradidere. Siquidem Aetius lib. 16. cap. 66. nimium fluentibus menſibus poſcam propinat. & Paul. lib. 3. cap. 62. in eadem affectione ſeſamum in aceto maceratum edendum ſuadet. Hinc Auic. f. proximè citata, t. & cap. 3. in eadem affectione curanda, prӕterquam quod citrij acredinem commendauit, quoddam ſuum medicamentum cum aceto forti, & acuto (vt verbis illius vtar) conficiendum mandauit: & cibaria ex lentibus aceto condiri decreuit. Vnde liquidò apparet non adeò reformidandum acetũ, quęque aceto admixto conficiuntur pharmaca, in muliebribus morbis, vt interdum etiam vſurpanda non ſint.

Quӕ tamen omnia non eo conſilio attuli, quaſi velim contra Hipp. decreta ſentire, & illius opinionem inſectari. Enimuero iſthӕc omnia illius ſententiӕ maximè conſona cenſeo. Is enim dum acetum, oximel, & alia his ſimilia muliebribus infenſa, & noxia eſſe teſtatus eſt; de aceto, & alijs eiuſdem ordinis locutus eſt quo tempore ijs ſolis potionis loco nutriuntur mulieres: vel etiam dum in maxima aſſumuntur quantitate. non autem dum in moderata, vel parca quantitate ſorbentur medicamenti loco. Illӕq. alijs

etiam

etiam medicamentis sunt enutritæ. Hoc sibi voluisse Hipp. inter cæteros satis appositè indicauit Trincauel. suis comment. lib. 1. ad Glauc. cap. 14. lect. 96. qui, hac, de qua agitur, proposita sibi quæstione, multisq. allatis rationibus, quibus demonstratur, acetum, vel oximel non omnino interdicendum fœminis, illam in hunc modum diluit. Considerandum est quòd alia ratio oximelitis est, cum eo solo vtimur loco alimenti, & potus, vt consueuerant antiqui medici in peracutis morbis, in quibus solo potu alebant ægrotantes. Potus autem erat, aut oximel, aut mulsa, aut apomeli. alia vero est, cum vsus eius est in morbis minus acutis, vbi, præter potum, vtebantur, & sorbitione. vt hordei cremore, aut ptissana. alia etiam ratio, cum eo dumtaxat tanquam medicamento vtimur, vt cum eo, vel cum alijs medicinalibus decoctis, vel syrupis vtimur. Nam cum eo solo sine alia sorbitione vtimur, magis acetum imprimit, & in intestina, & alias neruosas partes; cum nudas eas, aut nullo munimento defensas, inueniat. At, si alius præcesserit cibus, vel sorbitio, illiniuntur interim illo partes, per quas est illi transitus: vt neque deinde illis infingi, & eas abradere, ita

faci-

facile possit:& quoquo modo obtunditur eius acrimonia. & quo longinquior est via, eò magis obtunditur. Hoc autem loco, si rem rectè perpendas, de eius vsu sermo est, quando eo solo, tam cibi, quam potus vice vtimur: neque tamen tollitur, quo minus possimus tanquã medicamento vbi & cum alijs mixto; vt illis addat vim maiorem secandi, & detergendi. Cui etiam accedit, quod, si oximel parum acre fuerit, nempe ex modico aceto, parum admodum habet (vt ibidem ambo docuere) quod possit nocere, plurimum verò quod prodesse. hactenus Trincauell.

Hæc eadem solutio locum sortitur, cum de melancholicis sermo est, & illam loco prius citato indicauit Iacob. de part. scilicet acetum noxium melancholicis, vel oximel loco cibi, aut potus exhibita: non autem medicamenti loco, moderata etiam in quantitate propinata, & alijs admixta. Quanquã Pauli locum & Aetij aliter conciliare operam dederunt ex Neotericis viri doctissimi: quorum sententias non tanquam recõditas, sed vniuerso orbi patentes audire libeat proprijs de melancholia disputationibus exaratas. Et prior Donato ab Altomari detur locus in hunc modum scribenti. Ab Aetio, &

Paulo extollitur aceti ſorbitio quam acerrimi poſt omnem cibum, vbi iam dormire velit æger: idq. modicum eſſe debet, & voluit Paulus, & cochleari menſura, vt placuit Aetio. fortè quoniam attenuat, ac melancholicum ſuccũ diſcutit: vel quod aſſumptorum ciborum vapores humidos confeſtim ad caput deferat, ſomnumq. propterea conciliet, illud probarunt. Qua de re, ſiue iam dictis rationibus promoti, ſiue alijs fuerint, abſonum non erit eo vti, cum & tanti viri ipſum approbarint. Hanc Altimari rationem, ni fallor, caſtigauit Lud. Mercat. & ſuam in medium attulit, ſic perhibens. Ab aliquibus in melancholia morbo poſt cœnam eius potio commendatur, id tamen non vt attenuet humores, quia erroneum eſſet à cibo ipſum porrigere, neque vt ſomnum conciliet, vt alij falſo autumant, ſed vt melancholiæ vapores, & fuligines cerebrum aſcendere prohibeat. Hæc enim omnia coërcet. & ſuam hanc opinionem alibi repetijt, de quartana febre diſputatione ſuſcepta. Excogitauit etiã Mercur. quandam ſolutionem, quam in hunc modum ediſſerens expreſſit. Paulus velle videtur quod detur acetum bibendum poſt aſſumptionem ſucci abſinthij, deinde dormiatur:

miatur; quia abſinthium, quod eſt remedium melancholiæ accommodatiſſimum, vt magis penetret, attenuet, & euacuet, opus habet vehiculo, cuiuſmodi eſt acetum. Secundò dico, acetum poſſe concedi in melancholia ex aduſtione non in naturali. quo in caſu etiam laudat Auic. vel vbi cauſſa morbi ſit lienis vitium. eſt enim ſententia Auerr. 7. coll. 31. acetum in liene maxime conuenire: quoniam morbi lienis à craſſis humoribus oriuntur: vnde opus habent extenuatione. Accedit etiam quòd, vt dicit Auerr. eodem loco, viſcus hoc proprietate quadam naturæ delectatur aceto propter ſaporem acidum ſimilem melancholiæ, qua nutritur. Has & ſimillimas tradunt Medici dubij ſolutiones. qui tametſi in ratione aſſignanda non conſentiant, conuenit nihilominus inter eos opinio, iurè optimò à Paulo melancholicis acetum propinari. ad quam eliminandam opinionem (melancholicis nempè acetum non exhibendum) laborauit vir doctiſſimus. Itaq. vt cœptum ſermonem proſequar, ratio ab aceto deprompta inutilis eſt ad declarandum, pari ratione oleum vitrioli, ſeu ſpiritus illius melancholicis noxios, vt phlegma, & oleum, in morbis muliebribus.

Quo-

Quoniam iam ſatis conſtat, acetum tutò interdum melancholicis, & muliebribus exhiberi poſſe. qua pari ratione oleum chalcanthinum exhiberi poſſet; eò quod aceto ipſo in minori porrigitur menſura, eaq. ſatis notabili, & inſigni. Quare, hac ſpreta inani argumentatione melius dictum cenſendum eſt, melancholicis ideo illud porrigendum non eſſe, quoniam, ſicciſſimum cum ſit, melancholico humori ſicco inimicum eſt. & addendum videtur tum melancholiæ, tum morbis mulierum ideo nec oleum, neque etiam reliquos ex chalchanthi elaboratos liquores porrigendos eſſe, quòd ſuaptè natura morbis internis nullo pacto conducere, non infida ſuadet ratio; potius venefica vi, qua pollent, obeſſe, & maxima inferre detrimenta.

An oleum chalcanthinum ſedet ſitim. Cap. XV.

TVm ad potandum, tum epotum ineptum ad ſedandam ſitim vitrioli oleũ exiſtimo, quamquam de illo promulgauit Minder. toties repetito libro de calcantho cap. 9. hic eſt ille creſpinus ſitim ſedans, ac vna criſpa oris tollens amaritudinem. Enimuero,

uero, qui parem cum aceto efficaciam oleum vitrioli sortitum arbitrantur, memores sint oportet memoriæ traditum à Gal. 1. de simpl. cap. 29. in calce, ab aceto epoto interim sedari, interim verò augeri sitim. Cui si parem contendunt oleum vitrioli sortitum efficaciam omnino concedant oportet, quandoque illud augere sitim: neque rectè pronunciatum, absque vlla distinctione, chalcanthi oleum sitim mulcere. Sed rem ipsam intimius perscrutemur. Sitis, de Gal. sententia 1. de simpl. cap. 30. 6. de loc. affect. cap. 3. 4. aphor. 19. & 1. de sympto. cauff. cap. 7. quem, paucis exceptis, sequuntur, omnes, ex intemperie proficiscetur, vel calida, vel sicca, vel etiam calida & sicca simul copulatis: quas sanari par est ab ijs potionibus, quæ potentia frigidæ sunt, & humidæ. Quibus contrarijs oleum vitrioli pollere facultatibus sæpe sæpius indicaui eo quod istud exiccat, & calefacit. Quibus facultatibus ineptum redditur ad sitim tollendam: cum potius illam augeat.

At argumenti solutio est, non solum propinari oleum è chalcantho, sed alijs admixtum solum enim ineptum est ad potandum; & liquor iste solus exhibitus ventriculo noceret,

ceret, vt Querc. eſt auctor lib. de med. miner. ſpagyr. prepar. cap. 9. quare ſpagyricam ſectantes doctrinam varios excogitarunt modos, variaſque potiones, quibus oleum è chalcanto admixtum ſitim ſedare contendunt. Et exemplum, & rationem adiecit vir doctiſſimus, inquiens. Quod autem ſitim ſedet poſca mineralis (quippe qui oleum è chalcanto aquæ mixtum ſedare ſitim profitetur) vti vegetabilis, vel etiam à calido, & ſicco, experientia ipſa docet chalcanthomaſtygicis haud nota. Et quidem vtile oleum vitrioli non purum, quia ſicciſſimum, ſed cum aqua frigida, & actu humida, à quà olei ſiccitas retunditur, frigiditaſque combinatur: & ita ſitis ſedatur, quæ poſtulat non potentia frigida; & humida, ſed actu talia. In qua diſſertatione notabam primo loco latè exaratum, olei vitrioli ſiccitatem retundi ab aquæ humiditate; alibi verò acriter diſputatum, inter aquam, & oleum vitrioli vti econuerſo actionem non conſequi, qua ſublata, neceſſario infertur, vitrioli olei ſiccitatem non retundi ab aquæ humiditate. ſi quæ retundi dicatur, admittenda omnino eſt inter eos actio, & reactio.

Notabam ſecundo loco, oleum vitrioli

ſuapte

ſuapte natura ſitim non tollere, cum opus habeat aqua frigida, quæ ſua humiditate olei ſiccitatem retundat, aliàs ineptum eſſet ad tollendam ſitim. Quamquam non hac ſola ratione aqua oleo chalcanthi admixta ſitim mulcet, verum etiam, quia illius ſummam infringit calefaciendi potentiam. Neque ex eo, quod ſitim extinguat aquæ admixtum, illud calidum non eſſe, affirmandum eſt: vt alibi viſus eſt indicaſſe vir doctiſſimus, quando dictabat. Aquæ mixtum refrigerat, & ſitim tollit potum, ad extra cuti impoſitum ante dilutũ nullum producit calorem. vbi eſt igitur hæc caliditas olei vitrioli? namque multa libet afferre exempla eorum, quæ, licet calida ſint, nihilominus aquæ, vel alijs liquoribus, quæ ſitim mulcere valeant, admixta ſitim mulcent. Vinum equidem calidum eſt. & nihiloſecius aqua dilutum, aqua ipſa efficacius ſitim tollere hiſce verbis demonſtrauit. Gal. lib. 1. de ſimpl. cap. 29. ſi cum vino bibatur aqua ſitim efficacius extinguit. vino ſcilicet ipſam ad diſtributionem promouente: itaq. refrigerationem ſitiſq. ſedationem ab aqua prouenire, vt quæ frigidæ naturæ ſit, & humidæ cæterum adminiculo eſſe, ac velut alas illi ad

omnes corporis partes permeandas addere tum vinum, tum acetum, quæ ipsa nequaquam frigida sunt, & humida, hæc Gal. fœniculum tam vehementer excalfacere lib. 7. de simpl. memoriæ mandauit Gal. vt tertij ordinis calefacientium censeri possit. & tamen ex aqua frigida potum sthomachi feruorem sedare scripsit Diosc. lib. 3. cap. 67. anisum quoque excalfacit testibus Gal. lib. 6. de simpl. & Diosc. præallegato lib. 3. cap. 56. & nihilominus potum, subiecit Diosc. sitim extinguit. Eruum calfacere, affirmare non dubitauit Gal. lib. 8. de simpl. & nihilosecius ad conficiendam refrigerantem potionem, quæque sitim extinguat, illo vtimur. Hipp. lib. 3. de morb. apud quem sic notatum reperitur. Eruum in aqua præcoquito, deinde ollam nouam in maiorem ollam aqua plenam ponito, & alia aqua eruo affusa ad modicum tempus coquito. Postea, vbi coctum fuerit eruum, tertiam aquæ partem reliquam excolatam bibendam dato: ita vt ad singulos cyatos, & cucumeris, & erui pollinem inspergas. hoc constanter sitim sedat. sic ille. pari igitur ratione, quamuis doncutur aduersarijs, oleum chalcanthinum aquæ mixtũ, & potum sitim tollere, non hinc sequitur, illud

lud frigidum esse; dum alijs etiam argumentis calidum esse compertum habetur.

Notabam tertio loco, audacter pronunciatum, postulare sitim, vt sedetur, non potentia frigida, & humida, sed actu talia. Vnde etiam subijcitur, quandoque purum vinum non dilutum, quod actu frigidum, & humidum fuerit, sitim sedauit: quamuis potentia calidum, siccumq. Qua in parte, si Gal. sequi velimus auctorem, falsum reperiemus, vinum non dilutum sitim sedare: cum potius illam augeat. Apparet (inquit ille praeallegato cap. 29. lib. 1. de simpl.) à vino homini semper sitim increscere. vnde 4. acut. comm. 1. in hunc sensũ scribebat. Scio equidem, me, aliquando ex æstiuo itinere siticulosum redditum, bibisse vini veteris paulò sincerioris calicem vnum, atque ex eo sitim magis auxisse non placasse. itaq. Hipp. lib. de salub. diæta tex. 31. vinum dilutum potandum esse voluit, non sincerum, ad tollendam sitim, quando dictabat. Quos sitis infestat, cibos hi, & labores minuant, & vinum dilutum bibant, idq. quam frigidissimum. licet si de morbosa siti loqui velimus (de qua præcipuè disputatio est) non omnino veritati respondet, vt ad sedandam sitim

ſufficiant actu frigida, & humida: nec requirantur potentia talia. Quandoquidem pro cauſarum diuerſitate aliàs actu frigidis, aliàs calidis actu opus eſt ad tollendam ſitim. Audiamus Auic.f.13.3.t.4. cap.21. in hunc modum ſcribentem. In ſthomaco quidem calido, & ſicco addit aqua frigida ſitim: ſimiliter in ſthomaco ſalſi humoris: & aqua calida ſedat ſitim eius multotiens. & famulatur Ioannes Valeſcus lib. 4. cap. 10. vbi Auic. hac recitata ſententia, quæ ille memorat, experientia ſe compertum habuiſſe teſtatus eſt. Sed enucleatius viri doctiſsimi opinionem exploſit Arculanus lib.9. ad Almanſ. cap. 90. cum tradebat, in mala complexione calida, & ſicca (ſic ille loquitur) ebibita debent eſſe frigida actu, & potentia. Sed, vbi adſit materia colerica, & ſalſa, aut alterius generis, potius conuenire actu calida. Sed de his plus ſatis. quanquam vtilius fuiſſet quæſitum, an potu, qui admixtum habeat oleum chalcanthinum tolleranda veniat ſitis, præſertim morboſa. quod ipſe prorſus improbo: tum ob qualitates, quas ipſum oleum habet ad ſitim tollendam prorſus contrarias, tum verò ob veneficam, noxiamq. facultatem, qua præditum eſt. qui-

bus quoniam obest, non est cur illius cum admixtione conficiendus sit potus ad tollendam sitim.

Oleum chalcanthinum, an morbis internis deuoratum conducat. Cap. XVI.

INutilis prima fronte videtur inquisitio, an chalchanti oleum deuoratum morbis internis opem afferat, conscijs patronos illius syderũ tenus vsum eius extulisse, imo, quod fortè admiratione non caret, morbis tam calidis, quam frigidis affirmasse conducere. In quam sententiam apertè locutus est inter cæteros Vidius lib.8. de med.cap.postremo, apud quem hæc notata reperiuntur. oleum vitrioli valens est ad apoplexiam, paralysim, epylepsiam, febres ardentes, ac pestilentes: ad hæc ad sitim, ad sthomacum bile æstuantem, ad morbos vterinos, aliosq. innumeros ex humore idoneo epotum. Adest insuper Minder. dissertatio cap.9.& 10. lib. de chalcantho; vbi cathalogum efficit morborum, quibus adiumento esse istud oleum prædicauit: & pari passu, morbis quàm multis, tametsi à diuersa,& contraria caussa oriundis,

efficaci potentia prodesse, affirmare non dubitauit. Vulgata sententia hæc rationem suscipere posse videtur ex eo, quod non contemnendæ famæ, & auctoritatis scriptores chalcanthum ipsum porrigere pro debellandis morbis non dubitarunt. Astipulatur Plin. & post illũ Diosc. auctorem eundem sequuti, vt opinor, quorum prior lib.34. cap. 12. sic memoriæ mandauit, sumitur ad pellenda ventris animalia drachmæ pondere cũ melle. Diosc. verò lib.5.cap.74. hæc verba tradantur. latas ventris tineas necat drachmæ pondere deuoratum, aut cum melle linctum. quibus adiecit vomitus ciet. aduersus hausta fungorum venena ex aqua potum auxiliatur. hæ spagyricorum rationes, quæ mea sententia (eorum venia dictum sit) nullius momenti existunt. Etenim iactum istud fundamentum, vt veteres chalcanthum ipsum deuorandum dare non dubitauerint, ex eo corruit, quod Gal. & cæterorum admodum quam multi auctorum, inter quos spagyrici ipsi accesserunt, vsum illius prorsus reprobarunt. Gal. vulgata sententia est 13. meth. cap. 20. in hunc modum scribentis. neque absolute, si astringere incipientem flegmonem est opus, quodlibet astringens, in ijs,

quæ

quæ deuoranda ſunt, adhibemus: ſed ea, quibus nulla corruptrix admixta vis eſt. Nam chalcanthus inter præcipua aſtringit: vti etiã & myſi, ſory, & chalcitis, & dyphrynges, & æs vſtum, & ſquama eius, & flos. Verum hæc medicamenta deuorata noxia ſunt. Quo circa ſthomaticis ea admiſcere tutum non eſt: defluit namq. interdum ex his aliquid in ventriculum. Quare auctorum nonnulli animaduertentes in theriacæ compoſitione calciditis loco vitriolum vſtum apponi, illud tanquam noxium reijciendum cenſuere: inter quos Plantius apud Fernel. ſic ediſſerit. quod de calcitide, ideſt vitriolo vſto huic compoſitioni non admiſcendo Valerij Cordi imitatione monet, id quidem in primis conſentaneum videtur. cum enim medicamentum id, præſertim vſtum, ſummè cauſticum ſit, excharoticum, & internis viſceribus infenſiſſimum, nihilq. ad vllum interiorem affectum conferre proditum ſit, non eſt cur tãto incommodo, & ſaporis inſuauitate in hanc compoſitionem admitti debeat. Si, vt quibuſdam videtur, compoſitionem totam nigriorem reddit, non debet in vnam coloris gratiam ſapore, & viribus tantopere corpori incommodare. eo ſubſtracto, compoſitio

tota vtilior, minus acris, & calida, & suauior euadet. Quinimò Mercur. Heur. & Querc. qui à chalcanthini olei vsu non omnino abhorruerunt, chalcanthum ipsum deuorandum porrigere potius recusarunt. Querc. ergo libro de pharmacopea dogmatica restituta, occasionem nactus de theriaca dicere, in qua conficienda cum explanasset chalcanthum loco chalcitidis apponi, subiecit, deinceps, non mereri illud, vt in ea compositione admisceatur. quandoquidem plus detrimenti, quam inde boni proficiscitur. Sed de exusto vitriolo hæc dicta accipienda sunt ex Querc. & Plantio. Crudum verò atramentum sutorium nullo pacto deuorandum pro sanandis morbis; Querc. ipse astipulatur libro inscripto pestis alexicacus loco antea deducto. vbi cum retulisset Dioscor. vitriolum deuorandum porrigere (de crudo quippe Dioscor. sermo est) hoc à me Deus auertat, adiecit ille, vt aliquando tale remedium sine vlla præparatione adhibeam: tunc enim, præter quod plurimum lædit sthomacum, vt vomitus indicat, quem nedum ad pondus drachmæ, sed etiam in paucis granis datum excitat, atque producit, adeo gustui est ingratum, vt nunquam à medico quouis in ea senten-

ſententia præſcribatur, ſicut nullum præterea infirmum eſſe mihi perſuadeo, qui tam infeſta vti velit potione. hæc ille. Accedit inſuper Mercur. teſtimonium lib. 1. de morb. cutan. cap. 6. ſic tradentis. Scribit Raſis 25. continent. cap. 24. ſe habuiſſe amicum quendam, qui potata chalcanthi, ſiue vitrioli drachma, vna prope nocte abiecit omnes pilos albos. Scio hoc genus remedij maxime apud multos eſſe commendatum: ſed ſemper mihi Gal. conſilium placuit, qui in medicamentis, quæ per os aſſumuntur, damnat chalcanthi vſum. hoc ſibi voluit Heur. cap. 4. lib. de morb. capitis, cum protulit. Galenus chalcanthi vſum per os damnat. nos etiam. & ita damnat Petrus Foreſt. lib. 3. obſeruat. ſchol. ad cap. 40. vt affirmare non dubitauerit in exilium eos mittendos, qui eiuſmodi venenum pro ſalutari medicamento miſeris ægrotis obtrudunt. Ex quo compertum ſit deductam à vitriolo rationem prorſus corruere, quandoquidem illud præbere ſuſpectum eſt, & noxium.

Cæterum prædicta omnia libentiſſime aſſeuerãtes ſpagyrici ſubterfugium accipiunt, aſſeuerantes oleum vitrioli propinare ſe ita concinnatum, vt mitius ſit ipſo vitriolo, &

inno-

innoxium. Quorum ratio duplici argumento refellitur; quorum est primum deductum ex Minder. asserente, vitriolum non exurere nisi exustum: chalcanthi vero oleum omnino causticum esse, & ex consequenti vitriolo ipso potentius, & nocentius: vnde reprobantes auctores chalcanthi crudi vsum, & ipsius oleum reijcere coguntur, quod vitriolo ipso nocentius est. Sed argumentum istud dirigitur ad hominem, vt dici solet, quoniam falsa est illius propositio, vt vitriolum non exurat nisi exustum, quando & crudum exurere compertum est de Gal. sententia 5. meth. cap.4. & confirmat Diosc. lib.5. cap.74. affirmando à vitriolo crustam effici. Altera verò ratio, quæ luculentius demonstrat assumendum non esse, neque porrigendum à Medico deuorandum oleum chalcanthinum, hinc liquet, quoniam qui ausi sunt chalcanthũ ipsum porrigere, drachmæ vnius pondere illud dederunt. oleum verò chalcanthinum non plus scrupulo. Quo constat hoc violentius esse atramento sutorio, quod cum reijciendum sit ab vsu medicamentorum, quæ deuorantur, & ipsum oleum chalcanthinum reprobandum est, quod ipso chalcantho potentius, & nocentius est.

Illa

Illa parui momenti ratio est ab experientia petita, cum dicunt, multos conualuisse olei chalcantini vsu: qua de caussa illud præbere deuorandum nullo modo improbandum videtur. Istud enim argumentum retorqueri facile potest. oleum è chalcanto noxium est, idque docet experientia. enimuero ex ijs, qui illud deuorarũt, diem suum obiere multi. Siq: addant futurum vt perijssent multo plures, nisi ex illo oleo iuuamen suscepissent, voces eorum reddendo illis subijcere possumus. Ita contigisset vt multo plures seruati fuissent, nisi olei vitrioli vsu in deterius lapsi fuissent. Sed hæc missa faciamus, & cæteras ponderemus rationes.

Quarum hæc spagyricis videtur non contemnenda. Vitriolum, & si inter metallica locum sortitur, nihilominus alijs illi similibus vsi sunt medici, & interdum nonnullis alijs, quæ venena sunt. Idque comprobatur exemplo anthimonij, hydrargiri, & cantaridum, quorum vsus fælici experientia salutaris comprobatus est: pari ergo ratione atramenti sutorij, oleique illius vsus minime videtur aspernendus. Qua in re, ab anthimonio dicendi exordium faciendo, parem rationem fortè futuram fateor, si vitriolum purgã-

di gra-

di gratia aſſumeretur, vel oleum illius, non alterandi ſtudio, conſcijs, anthimonium ad expurganda corpora deuorari, cum noſtra quæſtio ſolummodo querat, an vitriolum, & oleum illius deuoratum conducat alterandi gratia. Ad hæc, militaret aliquo modo ratio quando citra controuerſiam vſu receptũ eſſet ſtybium porrigere pro expurgandis corporibus, cuius ſanè adminiſtratio contentionibus plena eſt. Quanquam, ſi æquo animo ea ſpectare velimus, quæ de anthymonio ab auctoribus memoriæ committuntur, rem perniciosſam, & periculi plenam eſſe certum habebimus. vt ex parte indicauit Ioãnes Crato in ſua epiſtola ad Iacobum ſcutellarium, & Alexander Petron. lib. 4. de victu Romanorum cap. 13. & enucleatius Mercur. lib. 2. de compoſ. med. cap. 8. in hunc modum ſcribens. tempore noſtro Teophraſtus Paracel. (de anthimonio illi ſermo eſt) primus cepit vti hoc diabolico medicamento, non ad purganda corpora, ſed ad iugulãdos homines. Doſis, qua vtitur, eſt à gran. duobus vſque ad quatuor. ſed conſulo vobis vt omnino abſtineatis ab hoc medicamento quia, tametſi videatur per aliquod tempus prodeſſe, tamẽ rariſſimi ſunt, qui vtentes hoc medicamento

perue-

perueniant ad primam senectam: & hoc non solum Erastus, qui contra Paracælsum scribit, quam plurimis exemplis demonstrauit: verum ego aliquot exempla habeo eorum, qui immature perierunt vsi hoc medicamento. Sed, quæ sit anthimonij exitialis potentia, in compendium redegit Schenck. lib. 7. obseruat. 219. apud quem notatum reperitur, illud tanto impetu euacuationem ciere, vt vasa frangat, hæmorrhagiam concitet, quam deinceps phtisis sequitur. alias illiud incommodi afferre, vt, qui illud deuorarunt, in morbos incidant, à quibus se nunquam extricare potuere: alias illud effecisse, vt, qui eo vsi sunt, vomitiones vehementissimas passi sint, colicos dolores, diarrheas, conuulsiones, & cardiacas syncopas. quodque magis est, è vestigio fatalem diem induxerit. Et denique ea attulerit symphthomata, quæ sublimatum, & præcipitatum parit. Iure ergo in Matthiol. inuehitur Heur. lib. de feb. cap. 19. cum censuit, anthimonium pestis esse anthydotum. Et iure meritò Parisiensis scholæ decreto anthymonium damnatū est, vti de peste edisserens recitat Paræus lib. 21. cap. 25. Liquet ergo argumentum deductum ex anthimonio nullam sortiri efficaciam.

cum

cum potius ratio ex illo deducta sit, ignotum probare per ignotius.

Multo minoris ponderis est ratio deducta ab argento viuo: de quo non ignoro, ab eruditis viris valde probari vsum illius ad excutiendos morbos ore sumptum. Sed manifesta res est, eorum sententias Gal. refragari, qui hydrargiri potionem prorsus reijecit pro sanandis morbis: eo quod neque ægris, neque rectè valentibus hominibus opem affert. Hoc sibi voluit ille dũ 6. in 6. Epid.comm.5. scribebat. ea de caussa mihi plura medicamenta non vocare mortifera medici videntur, quod ipsorum temporibus quibusdam vtilitas necessaria sit: ea veró appellare deleteria, idest perniciosa, quæ nullo vnquam tempore, neque ægrotis hominibus, neque valentibus opem ferunt. neque enim aconitum, neque argentum viuum, neque argenti spuma, neque marinus lepus intra corpus accepta vllum nobis afferunt emolumentum, quemadmodum alia pleraq. &c. Hinc lib.5. de simpl.cap.19. inter ea medicamina, quæ tota substantia nobis inimica sunt, argentum viuum locauit, ea de caussa, quod eius vel minimum assumptum omnino lædit. Quæ eo consilio ille tradidit, vt indicaret, argentum

viuum

uiuum assumptum nihil opis afferre, & dele-
terium esse venenum. In quam sententiam
locutus est Fernel. lib. de lue venerea cap. 7. 3°
vbi cumulata oratione hydrargirum nullo
modo tuto ori porrigi posse demonstrauit.
Vnde illa argumentatio ex hoc confiingitur,
vt qua ratione argentum viuum deuorari po-
test, eadem, & chalcantum, oleumque il-
lius assumi possit morbos discutiendi gratia.

Sed oritur dubitatio, quam excitauit Mer- obiicens
cur. lib. 2. variar. lect. in cap. 14. quo in lo-
co argentum viuum toxici venenum debel-
lare testatus est; Ausonij testimonio fultus,
exemplo vxoris cupientis maritum interi-
mere venusto epigramate hoc exarãtis. Qua-
re ex hoc videtur ea reijci opinio vt hydrar-
giro morbi debellari nequeant. Mercur. ipse
lib. 1. de venen. cap. 4. hanc eandem afferens
dubitationem in hunc modum illam propo-
nendo diluit. Difficultas est, inquit ille, quo-
niam Gal. loco illo 6. Epid. tradens exem-
plum deleteriorum, quæ nunquam iuuant,
adnumerat leporem marinum hydrargirum,
seu argentum viuum, & aconitum. Cæte-
rum Plin. lib. 27. cap. 2. scribit aconitum
maxime prodesse homini aduersus complu-
ra venena. & de argento viuo habetur apud
Auson.

Auſon. manifeſta hiſtoria illius ſceleſtæ mulieris, quæ, cum vellet enecare maritum, dedit ei primò toxicum; quod cum mortem tardaret, vt eam acceleraret, dedit argentum viuum. Sed, quod illa putabat mortem acceleraturum, vitæ potius miſero illi marito auctor extitit: quandoquidem argentum viuum fuit veluti remedium toxici. Verum profectò eſt, ſubiecit ille, immo veriſſimum eſt, neque aconitum vnquam prodeſſe, nec ſanis hominibus, nec ægris ſimpliciter, ſed ſi quando iuuat, id contingit quotieſcunque aliquod venenum eſt in corpore, quod ſit ipſi aconito, vel ipſi hydrargiro inimicum: tunc enim, vt præclariſsimè dixit Plin. duo venena inimica in corpore inter ſe pugnant, vt homo ſeruetur. quapropter veriſsimum eſt, huiuſmodi venena conferre homini per accidens, hoc eſt quando contingit in ipſo eſſe aliud quodpiam ſibi inimicũ, hucuſque Mercur. Cui aſſentior ex accidenti hydrargirum prodeſſe potato veneno, non quidem quia illud contrarietate diſcutiat: ſed quòd pondere citata aluo educat. Hoc vero contingit, cum & argentum viuum, & ingeſtum venenum ad actum redacta minime ſunt à natiuo calore. at, ſi contingat diu

ambo

ambo contineri, & à calore natiuo actuari, tunc illa maxima afferunt nocumenta. Ad hæc non valet argumentari, prodesse argentum viuum, cum non lædit, quòd contingit, si reijciatur antequam actuetur. Nam si contingat ad actum redigi, semper obest.

Ratio ex cantharidibus petita ab aduersarijs sic reijceretur. Comparatio ab animãtibus ad mineralia non procedit. & ob id argumentum à cantharidibus deductum probabile non efficit, quod de chalcantho, eiusq. oleo infertur: quamquam peculiaris ratio est, quæ efficit, cantharidas deuorandas præberi posse, quæ de chalcantho afferri non potest, siquidem cantharides anthidotum secum ferunt. quemadmodum Plin. testatus est lib. 11. cap. 35. cum protulit, venenum hoc remedia secum habet. alæ medentur: quibus demptis læthale est. & confirmant eiusmodi illius verba lib. 29. cap. 4. tradentis. cantharidum venenum in qua parte sit non constat inter auctores; alij in pedibus, & capite existimant esse, alij negant. Conuenit tamen, pennas earum auxiliari in quacunque parte sit venenum. & Dioscor. sententiam eandem retulit lib. 2. cap. 55. à quo (ni fallor) ne latum vnguem recessit Ae-

tius lib. 13. cap. 49. cum voluit, affectioni quam cantharides efficiunt, eorum alas, ac pedes contrariari. Vnde Matthiol. ad locum Dioſcor. citatum fusè comprobat ex Gal. integras cantharidas exhibendas eſſe, quo tempore ijs opus eſt: eo quod, ablatis extremitatibus, anthidoto exuuntur, quo natura ſunt præditæ in proprij veneni remedium. Hæc ergo ratio efficit cur cantharidæs exhiberi poſſint, cum ſecum anthidotum habeant. Quæ par ratio excogitari non poteſt de chalcantho, oleoq. illius. Concludamus ergo, chalcanthinum oleum nullis argumentis comprobari deuoratum morbis internis opem afferre, & ideo iuſtis de cauſſis reijciendum à medico vſu.

Faucium vlceribus, an oleum chalcanthinum conducat. Cap. XVII.

Non omnium vlcerum fauces affligentium queſtio eſt, an illis chalcanthinum oleum conducat; ſed malignorum duntaxat, quibus putrilago adiuncta eſt, cachoëtica dicta. de quibus quæſtio eſt, an chalcanthino oleo illis ſuccurrendum ſit. planè, ſi generalem vlcera curandi methodum conſulamus,

lamus, istud oleum illis opem afferre statuendum erit, conscijs decreuisse Gal. 2. ad Glauc. cap. 2. maligniora vlcera, ac putrescentia, acriora medicamenta expetere, quæ ignis vires habeant. In quorum numero chalcanthinum oleum reponi in confesso est. Etenim apud illum hæc leguntur. Summatim hæc cognoscere oportet, quod omne vlcus, siue sponte, siue ex accidenti, siue ex vulnere factum fuerit, exiccari desiderat medicamento, vt inquit Hipp. non aspero, hoc est mordente, neque vehementer irritante. præterquam vbi malignum cum putrilagine fuerit: talia enim acriora expetunt medicamenta, & quæ ignis vires habeant: quale est mysi, & chalcitis, & arsenicum, & calx, & sandaraca. Etenim non aliter quam ignis adurunt medicamenta huiuscemodi. Sæpius verò, vbi ista cesserint, ipsum ignem adhibemus. Qua eadem methodo faucium vlcera curanda esse, vbi maligniora fuerint, adeo vt ad acriora deueniendum sit medicamina, appositè declarauit Aret. lib. 1. acut. pass. curan. cap. 9. vbi de pestilentibus faucium vlceribus sermone instituto sic loquitur. Porrò igne vitium adurere, cum in superiori parte sit, imprudentis esse propter isthmum iudico.

dico. Sed medicamentis ignis simillibus. quò & depastio coerceatur, & crustæ decidant, vtendum præcipio. ea verò sunt alumen cum melle, galla, balaustrium arida cum mulsa. hæc eadem calamo, aut penna, aut crasso, & oblongo caulæ, quo medicamina ad vlcera perueniant inspiranda sunt. Optimè sanè est chalcitis vsta cum trita cadmia, & rhei radix cum aliquo humore. sic ille. ab hac sententia minime discessisse Iuniores admodum quam multos persuasum habeo, qui in oris fauciumque vlceribus acrioribus hisce medicamentis vsi sunt. Vidius ergo Iunior lib. 4. de morb. memb. cap. 19. vlcera oris depascentia curaturus caustica isthæc medicamina comprobat, cuiusmodi est chalcanthum, chalcitis, misy; vel etiam vlcera ipsa tangenda præcepit sulphuris oleo, & chalcanthi. Et Vidius Senior part. 2. de morb. gener. lib. 10. cap. 16. oris vlcera ex morbo gallico contracta attingi voluit gossipio madefacto in aqua plantaginis, in qua tabuerint alumen, & arsenicum: seu in aqua aluminis, quam Fallop. componebat ad rebellia vlcera exiccanda, aut oleo sulphuris, atramenti sutorij, & stibij. & Massar. lib. 1. pract. cap. 36. & 37. in crustosis oris vlceribus,

bus,

bus, aphtisq. malignis fortioribus hisce medicaminibus vtitur, quale est, misy, sory, chalcitis, atràmentum sutorium, aqua erodens, oleum sulphuris, vitrioli, vnguentum ægyptiacum: & alia classis eiusdem. At de vlceribus faucium clarius est locutus Amat. 6.ª
Lusit. centur. prima curatione 74. dum vlcus fauces depascens aqua forti tangendum mandauit, & gargarismate vtendum, in quo ægyptiacum vnguentum admixtum sit, & hanc opinionē disertè confirmat Lud. Merc. 7.ª
lib. 2. de morbo gallico cap. 8. vbi ad fortiora medicamenta cum deueniendum est, quibus faucium, & palati vlcera curanda sunt ex morbo gallico contracta, hæc esse commemorauit, aquam argentariorum, vnguentum ægyptiacum, oleum sulphuris, & puluerem mercurij. quibus ex omnibus varia parat pharmaca hisce vlceribus accommodata. Quare, licet idem auctor alibi in faucium vlceribus curandis oleum vitrioli reprobasse visus sit, nihilominus illius opinio refellitur ex ijs, quæ ex eodem auctore mox retulimus, & tanquam ratum decernitur malignioribus faucium vlceribus chalcanthinum oleum prodesse posse.

Dysen-

Dyſentericis an atramentum ſutorium cum clyſtere inijciendum ſit. Cap. XVIII.

SVnt, inquit Vidius lib. 9. de morb. memb. cap. 24. qui auri pigmentum, ſandaracam, chalcanthum, aliaq. eius generis medicamenta diligenter prius vſta, permiſcent (cum enematibus ſcilicet pro dyſenteria curanda, de qua illi ſermo eſt) ad cruſtam in vlceribus excitandam: præſertim, cum timent ne ea depaſcantur inteſtina, & in dies maius ſpatium occupent; quæ, quoniam veterum fuit opinio, idcirco mordicus illam tuetur Maſſar. lib. 3. pract. cap. 22. quam neque ipſe prorſus damnare auſerim opinionem. Notandum tamen volui Maſſar. huius ſententiæ patronum aperte fateri, neminem reperiri hodie, qui huius medendi methodi imitator eſſe voluerit, quibus aperte confeſſus eſt, à medentium vſu receſſiſſe penitus methodum vſurpandi chalcanthum, aliaq. eius generis medicamenta, eaq. admiſcere in dyſentericorum clyſteribus. quamquam, neque ipſum Maſſar. cenſeo remedia hæc vſurpaſſe vnquam, alioquin ſanationis exẽpla non prætermjſiſſet, quæ deſideramus nos

ad

ad hanc ſubſtinendam opinionem. Quandoquidem nocumenta afferre, quæ ex his prodeunt medicaminibus, difficillimum non eſt, ſanationis verò exempla non tã promptum. Aetius ergo lib. 9. cap. 49. dyſentericorũ hęc recenſendo medicamẽta, vniuersè de omnibus perhibuit, quæ cruſtas inducunt, ſi infundantur, & ſtomachum & caput offendere cõſueuerunt. &, quamuis huic incommodo occurendum velit, ſi hora vna ante ſtomachus oleo mirtino, & vino veteri irrigetur, itemq. caput largo oleo, nihilominus probare, iſtud cum effectu contingere, adeò vt nulla conſequatur noxa, hoc opus hic labor eſt. Ad hæc Gal. lib. qui dicitur medicus, cap. 13. apertè teſtatus eſt, cũ huiuſcemodi generis medicamenta ſanas inteſtinorum partes cõtingunt, perniciem afferre. Attamen inteſtinorum partes nonnullas ſanas eſſe, vel ex Cælio colligitur, qui in omnibus inteſtinis eodem tẽpore vlcerationem minime poſſe fieri tradidit lib. 4. tard. paſs. cap. 6. Itaq. inteſtinorum partes eò quod non omnes exulcerantur in dyſenteria, ſequitur vt vſu horum medicaminum ineuitabile conſequatur detrimentum: & ſpe dubiæ ſanationis exulceratarum partium. ſanæ ledantur, & morbo

morbus

morbus addatur. Hinc factum censeo, vt Iuniores Medici complures, quibus in locis de his præsidijs orationem aggrediuntur, potius recitatores sint veteris opinionis, quam illius consultores. Quamquam non defuit Rondel. qui hanc opinionem penitus damnauit lib. 3. meth. cap. 20. cum dixit, non imitandi veteres, qui sandaracam, auripigmentum, calcem viuam, & alia eiusmodi injiciebant in reliquas intestinorum partes omnes æquè agentia, ac ea, quæ exulcerata est. Hæc omnia eo consilio commemorare volui, vt liqueat, fortè melius consultum dysentericis, si, his prætermissis medicaminibus, curationem illorum aliter prosequatur Medicus, quam illis cum clystere infusis.

ERRATA.

Pagina 13 versu 18. ***addendum est***, calidam, & humidam. 23. 19. neque illis orationibus, *lege* neque vlils rationibus. 48. 6. dicitur, *l.* dum. & versu 11. tract, *l.* tomo. & vers. 16 vi, *l* vim. 49. 15. qui, *l.* quod. 50. 18. vstiora, *l.* vstoria. & vers 26. vstiora, *l.* vstoria. 51. 7. excessus sunt, ***addendum***, quiddam hic. 57. 23. summa, *l.* summam 67 8 persicam, *l* persæam. 73. 26 initio, *l* intro. 73 3. cenissæ, *l.* cerussæ & vers. 24. refrigendi, *l* refringendi. 80. 21. reactis, *l.* redactis. 85. 14 remedium, *l.* remedijs. & vers. 18. xirodinis, *l.* oxirhodinis 124. supra, ***delenda hæc particula. & addendum*** sic 1. prob, 12. bilè dixit recalescente febres acutæ inuadunt 103 6. quos, *l.* quod. 104 23. 2. meth. *l.* 11, meth. 109. 23. taiem, *l.* tabem. 115 3. sanguine, *l* sanguinem. 119. 8. gestatur, *l.* gestatum. 122. 19 lib 2. *l.* 11. & vers 27. text. 2. text. 11. 125 5. calorem, *l.* calore. 126. 16. frigiditate, *l.* frigiditatem. 128. 9. cap 2 *l.* cap. 15. 129. 22. quam, *l.* quanquam, 133. 11 quartanarij, *l.* quartanarijs. 134. 3. cap. 20 ***addendum***, itaq proponentes Auer. & Halliab 138, 5. gitur, *l* agitur. 142 13. chalcanthi. l. chalcan ho & vers 16. potius, *l* sed potius. 146. 8. sectare, *l.* sedare. 153. 5. curan. *l.* cutan. 156. 19 nostri, *l.* nostro.